Comparatio suavitatis, quæ in hujus vitæ invenitur amicitia cum amicitia beatorum.

Si amicitia sincera, honesta, fidelis, innocens semper totam constituit vitæ hujus suavitatem; quem fructum beati percipient ex illis amicitiis spiritualibus, quæ habentur in Cœlo cum his omnibus circumstantiis conjunctæ? & si amicus tutus, & fidelis efficere potest alium hominem felicem, quænam erit æternæ vitę beatitudo, ubi Beati omnes erunt veri amici! Beati subditi imperio adeo placato, ac tranquillo, ubi omnes æterna pace fruentur. Quæ autem prædestinato erit gloria versari inter hæc honoris vasa, quæ manu sua effinget Deus futura ornamento ædibus illis admirabilibus, ubi æternam mansionem habebit? Namque ex S. Augustini sententia quilibet prædestinatus capiet, sentietque omnem lætitiam alterius prædestinati, atque tot habebit hujus gaudii socios, quot suæ habebit beatitudinis. *P. Rapin in vita Prædestinatorum.*

Interior, & immutabilis pax, qua singuli beati perfruentur in Cœlo.

Præter generalem hanc pacem, quæ æternum Beatorum corda conjunget, aderit etiam pax peculiaris singulorum cum seipso, per quam possidebit se ipsum dominans sibi, & omnibus motibus animæ suæ. Hæc erit pax corporis solum, & spiritus, & utriusque facultatum; pax cordis, desideriorum, omnium sensuum; & Pax hæc spiritum inter & corpus cumulabit sensus universali in rebus omnibus oblectatione. Ita nulla erit ultra perturbatio in voluntate, nulla in appetitu resistentia, nulla sollicitudo in imaginatione, nullus tumultus in intellectu, nullum in exteriori sensu vitium; peccatum enim, quod est omnium malorum nostrorum origo, non erit amplius. Omnia nova erunt in hoc regno gloriæ, & ejus novitatis, quæ pretium ejus perficiet. Sicuti omnia terræ gaudia nullam habent cum gaudio Beatorum rationem, & comparationem, quod omnino perfectum est; eo quod omnia in se complectitur gaudia; asseri potest nullum nisi in Cœlo purum gaudium adesse, ac neminem nonnisi illis fore contentum; ubi invenietur complementum omnis spei, & universalis votorum omnium satietas: gaudium denique in omnibus circumstantiis suis completum per privationem mali cujuslibet, & cujuslibet boni perfruitionem. De hoc ita Dei Filius loquitur ad Discipulos suos, ut gaudium vestrum sit plenum. *P. Rapin in vita Prædestinatorum.*

Suavitas lætitiæ, quam Spiritus Sancti operatio effundet in cor beatorum.

Virtus operationis interioris Spiritus Sancti, qui essentialis lætitia est, & consolatio in Beatorum corda omnem secretissimorum favorum illius suavitatem infundet. Hæ nubes, quibus obnoxii sunt pulcherrimi nostri dies in terra, non videbuntur amplius in cœlo, & prædestinatus qui non poterit amplius affici ineptis fluxisque vitæ hujus oblectamentis, purissimas tantum alterius vitæ suavitates gustabit. Valetudo semper constans in illius corpore regnabit per perfectam sensuum integritatem, & pax immutabilis sese in animam ejus effundet. Non erit illi cor nisi ad amandum Deum, non mens nisi ad illum admirandum, non os nisi ad laudes illius æternum celebrandas. Anima ejus luminis puritate, perfecta cognitione, intellectus sublimitate, comprehensionis facilitate illustrabitur, quibus nihil erit simile in hac vita, ubi trahimus corpora omnibus obnoxia miseriis humanæ fragilitatis, & ignorantiæ, quæ vix, & ne vix quidem numero carent. *Idem.*

Quænam erit occupatio Beatorum in Cœlo.

Videamus quænam futura sit æterna Beatorum in Cœlis occupatio. Hæc erit omnem spiritum suum in eo collocare, ut Deum cognoscant, atque intelligant, omnem suam voluptatem, ut illum amore prosequantur, omnemque gloriam, ut illius mandata capessant; erit de uno illo cogitare, ad unum illum contendere, illum benedictionibus cumulare, quæ semper novitate gaudebunt, quia novis semper gratiis cumulabuntur. O sanctum negotium! *Beati qui habitant in domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, inquit Propheta; quia ubi comprehenderint infinitam Dei magnitudinem, supremamque illius potestatem; tanto huic objecto dumtaxat vacabunt. Os eorum, quod æternum clausum erit laudibus hominum, æternum patebit laudibus magni hujus Dei: hoc erit elogium misericordiarum ejus, quod non cessabit unda. Prædestinati infinitis affecti beneficiis, quæ a Domino receperunt, & illis, quæ incessanter recipiunt, recipientque, grati erga tot largitates, quibus illos Dominus cumulare oblectabitur, in id erunt intenti, ut suum profiteantur grati animi affectum, quocumque modo poterunt, & fugi obsequio, & observantia, quam eidem præstabunt. *Benedictus Deus*, dicent cum Principe Apostolorum, *& Pater Domini nostri JESU CHRISTI, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam per resurrectionem JESU CHRISTI ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam & immarcescibilem conservatam in Cœlis. Idem.*

Psal. 83.

Continuatio ejusdem argumenti.

Post ea, quæ a nobis dicta sunt, ne quæramus ultra vocabula apta ad significandam præexcellentiam, ac pretium mercedis illius, quam in Cœlo nos consecuturi speramus; non enim aliæ inveniri possunt imagines, non aliæ figuræ, non verba ad illius magnitudinem significandam. Omnes conceptus, quos nobis fingere possumus, & omnes locutiones, quas imaginatio nostra nobis suppeditare potest, exhaustæ jam sunt per ea, quæ hactenus diximus. Inde enim liquet, nos Deo plenos futuros, spiritu illius cumulandos esse, nobisque cum Filio ejus gloriæ suæ plenitudinem esse partiendam. Ita gaudium nostrum, nostræ voluptates, deliciæ nostræ erunt gaudium, voluptates, deliciæ JESU CHRISTI: singuli prædestinati habebunt felicitatem parem desiderio suo, quod non poterunt cupere aliquid ultra ea, quæ possidebunt, possidere debentes quidquid Dei Filius a Patre suo meritus est: quæ omnia fient in silentio spiritus, ubi cumulus beatitudinis illorum apparebit in tota plenitudine gaudii, & tranquillitatis eorum. Quod tunc accidet, cum Deus illos cumulans gloria sua eosdem fecerit similes sibi, ut pares fient suscipiendis divinis communicationibus, omnibusque cœlestibus operationibus. *Idem.*

Hoc regnum hæc gloria hæc æterna felicitas non datur gratis.

Æquanime esset, Regnum illi simile, quod hactenus vobis exhibui, æternitatem, cujus pretium satis æstimari non potest, gloriam adeo completam, mercedem denique pretii infiniti, gratis donari? Nam minus est nihilo id, quod plerique fideles faciunt, ut illam promereantur. Et revera ad quid sit? traducitur vita in iis comparandis, quæ brevi sunt duratura, & nullo in discrimine habetur bonum solidum, ac permansurum, cujus finis nullus futurus est. Momentanea voluptas, levis, & fluxa utilitas efficit, ut nihil inausum, ac intentatum relinquamus eadem perfruituri, hæc autem voluptas, æternumque negotium hoc, quod nobis proponit fides, nos ne afficit quidem. Tamquam fascinati amantes terrenorum bonorum vanitatem consectamur; & hæc Cœlestium bonorum plenitudo, quæ adeo solida est, nullam fere in cordibus nostris efficit impressionem. Umbram pro corpore amplectimur, & relinquimus veritatem, ut mendacio occupemur. Nonnisi carnalibus oculis, & anima prorius terrestri respicimus Cœlum, nimis facile nosmet tradentes sensuum nostrorum erroribus, ut alijuas illius imagines nobis proponamus. Ubi ratio est, ubi judicium, inquit Propheta, in perversitate discretionis, & in perturbatione mentis adeo deplorabili? Hoc non est illud, quod fidei prudentia nobis suadet, cum ait, præferendum esse quod æternum est, perituris; quocumque fulgore niteat id, quod est finem habiturum. *P. Rapin in vita Prædestinatorum.*

Quid faciendum ad illam acquirendam.

Sequitur idem argumentum. Quid faciendum sit ad supremum hoc bonum acquirendum.

Meminerimus nihil magis sanctificare Christianum, moresque illius emundare, quam supremi boni meditationem, jugemque rerum æternarum cogitationem, quibus mentem plenam habere non potest quin fastidiat, atque aspernetur res fluxas, ac fragiles; sed, quod præcipuum est, non anhelamus ad gloriosam hanc alterius vitæ requiem, nisi postquam nosmet in vitæ hujus laboribus exercuerimus; etenim nonnisi pacate ferentes vitæ hujus mortalis tenebras in immortalitatis lumen ingredimur; nonnisi per prælia victoriam acquirimus, & per crucem ad salutem æternam pervenimus. Dei Filius toto vitæ suæ spatio crucem tulit suam; per crucem nos illum sequi jubet, & hoc tantum pretio virtutem nobis comparandam proposuit. Cum de Cruce, & de Sepulchro egressus est, visus est gloriosus Apostolis suis, ut intelligerent, per hoc dumtaxat illos promereri posse mercedem, neque aliam superesse viam, qua ad eum ascendere possint. Ille calicem bibit, ut ipsi ejus exemplo illum bibere perciperemus; & quomodo illum non bibamus, postquam ab hoc divino Magistro didicimus, nos animam odisse debere, ut illam salvemus? Nonnisi profecto per tribulationes victoriæ hujus pretium refertur,

tur, ad quod nobis contendendum est; & quis auderet alia via ad gloriam pervenire, quam per eam per quam Dei Filius illuc profectus est? Faciamus pro corona immarcescibili, quod olim faciebant Ethnici, de quibus Apostolus loquitur pro laurea, quæ in eorum capite arescebat, postquam illam promeriti fuerant. Christiani Magnanimitas longius procedit, atque ad majora fertur. Terræ contemptus, ubi Cœlum intuetur, elevat cor illius eumque invictum præbet iis omnibus, quæ in sæculo magna sunt, & delectabilia. Hæc est, Apostolus inquit, victoria fidei, quæ sola de mundo, deque deliciis ejus triumphat, offendens Christiano tamquam præterita, quæ præterenunt, & tamquam præsentia ea, quę futura sunt, abjectum, atque contemptu dignum exhibens, quod temporale est, instituta cum eo, quod æternum est comparatione. Hic fuit Ecclesię spiritus in ipsis illius incunabulis; hi sensus erant illius; & tunc solum incœpit virtutibus decrescere, cum cœpit crescere in amore terrenarum divitiarum, cœlestium oblita. *Pater Rapin in vita Prædestinatorum.*

Cogitatio bonorum Cœlestium creat fastidium terrenorum in corde generoso.

Ad quem perfectionis cumulum non elevatur hęc fidelium magnanimitas, cum abjecto inanium rerum errore, fallaciumque deliciarum perteśi veras dumtaxat inquirunt; & occupati supremi boni cogitatione, quod interdiu, noctuque meditantur, & quod jugiter ob oculos sibi propositum habent, ut sese excitent ad fidelitatis suæ perseverantiam, animos inducere nequeunt ad amandam vitam huic similem, ubi ne ullum quidem momentum est, quo frui possimus cum aliqua specie tranquillitatis! Ideo exilibus radiis omnium humanarum felicitatum in corde illorum evanescentibus, nulla fovent amplius desideria nisi pro æterna illa pace, quæ efficiet, ut Deo perfruantur omnibus sæculis, quin metuant, ne de beata illa perfruitione deturbentur: postquam per fidem didicere vitæ hujus bona esse mala, & mala esse bona amantibus Deum in æternitatem. *Idem.*

Nobis suspirandum est ad æternam felicitatem nobis destinatam. *Psal. 141.*

Flectamur ad intuitum cœlestis hujus patriæ, quam nostra nobis promittit religio: gemamus, suspiremus, lugeamus propter nimiam illius felicitatis, quam speramus, moram; & sæpe cum Sancto Propheta dicamus: *Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo: me expectant justi donec retribuas mihi*; justi me præstolantur, ut in eorum societatem ingrediar, cum mihi retribues mercedem illius beatitudinis, ad quam illi pervenerunt. Sed illam etiam optemus pro gloria Dei æque ac pro nostra salute, ut pares simus, qui illum glorificemus per cordium nostrorum puritatem omnino liberati a servitute peccati, & a pondere corruptionis illius, sub quo plorabamus. Hic vere est prædestinati caracter, lacrymis, suspiriis, ejulatibus, & gemitibus profunditate significare summam impatientiam, qua festinant ad Deum, ut illum possideant, ne illius gloria perfruantur in suprema beatæ æternitatis requie. *P. Rapin in vita prædestinatorum.*

De creaturarum desiderio, quæ perpetam mallent, æternum in terris, quam in Cœlo habitare.

Hoc sane mirum est; homines Christiani mallent æternum vivere in terra, quam in Cœlo æterna beatitudine perfrui; sed modicum hoc vitæ, quam habemus in terris, licet breve, molestum, fragile, fluxumque sit, illud æternæ felicitati vitę future præferimus. Duo nugarum dies efficiunt, ut oblivioni demus hunc infinitorum bonorum cumulum; licet insipidę sint voluptates ineffabilium earum delitiarum gustum nobis præripiunt; possessioni Dei minimum creatum objectum præfertur. JESUS CHRISTUS ascendit nobis in Cœlo sedem paraturus; num solliciti sumus, num festinamus illam occupaturi? Numquid Cœlestem hanc Jerusalem ardenti desiderio prosequimur? Abjectam sane habeat, opus est, fidem, qui tantopere exili hujus loco delectatur. *Pater Croiset in Exercitationibus Ascetticis Tomo 4.*

Perquam Sanctos in honore habemus, nisi eorum sequimur exempla.

Nil est, quod eorum felicitatem in Cœlo perturbet, Felicitatem, quam possident, admiramur, ut etiam atque etiam illius desiderium excitemus in nobis. Laudamus, & prædicamus quod illi fecerunt, & passi sunt ut ad eam pervenirent, ut nobismet animos faciamus ad eos imitandos, & ad ingrediendas vias, quas nobis stravere. Qui enim, Sanctus Chrysostomus inquit, cum religiosa charitate Sanctorum merita veneratur, frequentibusque laudibus justorum gloriam concelebrat, illorum justitiam, morumque Sanctitatem debet imitari. Hæc laus illis accepta est, utilis nobis. Præsto sunt, ut in illa nobis suffragentur, & acta suffragantur, orantes, ac intercedentes pro nobis apud illum, quem nunc facie ad faciem intuentur. Hoc & Angeli faciunt per Ministerium, quod Dei jussu pro nobis exercent. Illi nihil cupiunt nisi nos tandem suæ beatitudinis consortes, & socios habere. *Tourneux in anno Christiano Tomo 2.*

Infinitum fere discrimen inter mundanorum gloriam, & electorum. In quo situm sit.

Quodnam discrimen inter humanam gloriam, & eam, qua Sancti in omnem æternitatem perfruentur, quę eo pretiosior, solidiorque est, quo humana magis est inanis, & contemptibilis; quoniam utrique insunt qualitates omnino contrarię. Electorum beatitudo conjunctum habebit spiritum societatis, & unionis. Omnes se invicem cognoscent, invicem amabunt. Omnes Deum glorificabunt per gratias, quas singulis contulit: ita cujuslibet electi actiones bonæ perspectæ omnibus erunt electis, eruntque omnibus singillatim causa lætitiæ, laudum, & gratiarum in æternum agendarum. Projicient omnes coronas suas ad pedes Agni, neque suas tantum, sed illas etiam aliorum omnium; neque enim dumtaxat glorificabunt Deum in seipsis, sed in omnibus etiam Sanctis, illi in æternum canentes: *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* O gloriam vere solidam electorum Dei! gloriam, cujus fulgor perfunctorius non est! gloriam stabilem, atque æternam! gloriam, quę non continetur in exiguo numero rudium, invidorumque mortalium, sed quę tot est habitura testes, quot futuri sunt cœlestis Jerosolymę cives; gloriam quę non posita est in inutili, atque temeraria approbatione hominum, qui illam ignorant, & non convertuntur; sed quę sita est in gaudio plurimarum animarum sanctarum, numero carentium, quę in lumine veritatis corda nostra introspicient. *Ex Speciminibus Ebricis.*

Psalm. 67.

Sanctorum beatitudo bonus est adeo præstans, ut illud concipere nequeamus.

Quemadmodum omnes Dei perfectiones longissime omnes conceptus nostros arctumque mentium nostrarum captum excedunt; ita beatitudo, quam nobis promittit, infinitis spatiis excedit quidquid ipsi dicere possumus, & cogitare. Quo magis illam detegere adnitimur, eo magis a nobis ignorari videtur. Similis est thesauro, inquit Filius Dei, sed thesauro abscondito: *Simile est regnum Cœlorum thesauro abscondito.* Manna est, inquit Sanctus Joannes, sed *manna absconditum*; Est affluentia divitiarum, inquit Propheta, sed latentium. Plenitudo est gaudii, Sanctus Petrus ait, sed hoc gaudium sentiri potest, explicari non potest. Ad quam igitur redacti sumus necessitatem, Sanctus Augustinus inquit? numquam dicere possumus quid sit hominis bonum, & nihilominus nobis tacere non licet. Illud comprehendere non valemus, & nihilominus de eo loqui debemus, illudque fidelibus proponere tamquam promissam a Filio Dei laboribus eorum mercedem. *Moralez Animadversiones Tome primo.*

Matth. 13.

Apocal. 2.

CÆ-

CÆCITAS ANIMÆ.

Cordis obduratio, Dei destitutio &c.

MONITUM.

Quemadmodum gravissimum malum est, quod peccatoribus sit hac in vita extimescendum, & nihilo secius frequentissimum supplicium est, quod illis Deus minitetur; ita quoque argumentum est Concionis, in qua maxime Oratoris vis, & eloquentia desideratur. In hoc autem notandum est.

Primo quamvis inter se differant Cæcitas mentis, cordisque obduratio; adfectata boni ignorantia, & obstinata in malo nequitia; operosum esse hæc omnia simul nequaquam confundere in hoc argumento; in Moralibus enim effectus a causa non separantur, neque peccati circumstantiæ a peccato ipso distinguuntur, ubi res funditus est pertractanda. Itaque sive de cordis induratione, sive de animæ cæcitate sermo instituatur; idem semper est status, in quem peccator redactus est, idem effectus, supplicium idem, atque ut verbo me expediam, idem concionis argumentum.

Secundo, Cum Cæcitas spectari possit, tamquam vel circumstantia, vel quædam ex causis peccati, quod patratur; se enim excæcet prius, opus est, qui illud commisit; vel peccati effectus: vel demum supplicium, quod in peccatores divina exercet Justitia; hæc diligentius distinguenda sunt, ne confundantur. Præsertim vero adnitendum est, ut in orthodoxo sensu explicetur ratio, qua Deus mentem excæcat, & cor ipsum obdurat, vel ita peccatorem deserit, ut hic inde apertum reprobationis suæ characterem secum ferat. Maxime enim interest hac in re caute verba facere, ne in hæreticorum sensum impingas, affirmantium Deum positiva actione hanc mentis cæcitatem, & cordis indurationem producere.

Tertio ut in hoc argumento tuto incedamus, & incutiamus peccatoribus metum terribilis hujus supplicii, quod Divina infligit Justitia, ita tamen, ne ruant in desperationem; duobus his innitì oportet principiis, atque catholicis veritatibus; primo hanc cæcitatem semper a nobismetipsis initium ducere, & nonnisi a nobis coactum sua nobis lumina Deum denegare. Secundo peccatorem in hac vita numquam cæcum, & obduratum esse, numquam a Deo ita derelictum, ut omni prorsus ope careat, & ex miserrimo statu, in quo versatur, nequeat emergere.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Concionum hujus argumenti Systemata.

I. UBI pro Concionis textu hæc adhibeantur verba ex Evangelio Quinquagesimę desumpta: *cæcus quidam sedebat secus viam mendicans*, pro argumento, ac partitione ejusdem desumi potest deplorabilis status, ad quem animæ cæcitas redigit peccatorem; remedia huic malo afferenda, & consilia ex eo statu emergendi; Utriusque hujus puncti probationes ex verbis ejusdem Evangelii hauriri possunt.

Punctum primum. Infelix cæcitatis Spiritualis status triplici hoc verbo indigitatur: *cæcus quidam sedebat secus viam mendicans*. Hæc cæcitas efficit, ut peccator eadem perculsus in salutis via, & justitiæ semita nequeant incedere, claudit enim oculos luminibus gratiæ, quæ nonnisi tenuem lucis radiolum emittunt, quod ea vox inquit: *sedebat*: similes hac in re opacissimis tenebris, quas Deus super omnem Ægyptum effudit, quæ donec invaluere, Ægyptii sese movere non potuerunt de loco, ubi quisque fuerat, cum illæ ingruerunt. Peccator ita occæcatus terrena tantummodo cogitat, ac in illis quodammodo fixus inhæret, qui ne gradum quidem ad Cœlum rursus protendat. 2. Cæcus Jerichuntinus sedebat *secus viam* non solum temporum inclementiæ, sed etiam prætereuntium nequitiæ & contumeliis expositus: Vera cæci peccatoris imago, qui omnibus patet tentationibus, & invisibilium inimicorum crudelitati, qui in ipsum tamquam in Samsonem alterum omnem furorem suum possunt exercere atque sæviissimos ejusdem effectus in ipsum depromere. 3. Hic idem cæcus Evangelicus summa laborabat inopia, *mendicans*, qua propter stipem emendicare cogebatur; hæc quoque elegans est peccatoris imago in cæcitate positi, omnibusque spiritualibus donis, & gratiis destituti, quem Deus communi tantum Providentia respicit, & cui raro gratias actuales impertit, sed mediocres, infirma subsidia &c.

Punctum alterum. In hoc tamen statu, quantumvis miserrimo desperandum non est: non enim desunt rationes inde emergendi. En illæ, quibus Evangelicus cæcus usus est ut visum reciperet. 1. Ad JESUM CHRISTUM confugit præcibus, *JESU fili David miserere mei*: oratio cæci peccatoris unica spes est; ad eam vero efficiendam gratia necessaria numquam deest. 2. Se se tradidit ducibus suis, a quibus ad JESUM adduceretur; *& jussit eum adduci ad se*. Secretum admirabile, quod Deus omnes voluit edocere, ut quisque sapientis, doctique rectoris consilium sequeretur, non solum, ut de errore, in quem lapsus esset, eriperetur; verum etiam, ut ad JESUM adduceretur; atque in salutis via statueretur. 3. *Et sequebatur eum*. Peccator autem illuminatus gratiæ fidelis esse debet propter gratitudinem. Insigni favori, quo a Deo cumulatus fuit ex periculosissimo statu ereptus debet respondere.

In idem Evangelium, eumdemque textum cæcitatis mala possunt ostendi, ac tres inde fieri concionis partes, quibus ille propositus finis fit, ut hujus status horrorem injiciant, & cupiditatem, quamprimum inde evadendi succendant. II.

1. *Secus viam*. Peccator ea cæcitate perculsus, de qua sermo est, secus viam latam, hoc est, viam perditionis, vivens juxta mundi hujus dogmata, periculis omnibus patens, in omnia ostendicula impingens, ac semper in occasionibus in nullam reditus spem intereundi; quæ quidem ostendicula, atque pericula propter cæcitatem videre, atque detegere non potest, atque ideo perniciosissimas illas occasiones nequit effugere.

2. *Sedebat*. Hic cæcus sedebat secus viam; ubi cæci peccatoris secunda calamitas exhiberi potest, requies videlicet in sceleribus suis, quin perturbetur vel conscientiæ stimulis, vel hujus vitæ adversitatibus, vel flagellis, quibus consuevit Deus aliorum peccatorum gaudia turbare, ut illis hujus mundi tædium immittat, eosque cœlestia cogitare cogat: quod efficit ut cæcus ille peccator sibi in hoc statu complaceat, ibi perseveret, & inde egrediendi ne patiatur quidem cogitationem.

3. *Mendicans*; hic cæci Evangelici status erat, qui cum victum laboribus sibi comparare non posset, a prætereuntibus stipem emendicare debebat. Sed peccatoris cæcitas illum ad longe acerbiorem redigit egestatem; cecidit enim in talem spiritualem miseriam, ut paucissimis, tenuissimisque cœlestibus gratiis, atque subsidiis recreetur. Validioribus ille gratiis, vividioribus luminibus, majoribusque subsidiis indigeret, ut ex tanta felicitate posset emergere; sed prætereuntibus, hoc est, illis qui pro eodem possent intercessores existere, hoc integrum non est. Possunt quidem eorum preces hæc

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

hæc obtinere subsidia, immo iisdem fruitur, si pius aliquis vir enixius pro se flagitaverit: hoc tamen non semper, satis enixe, satis opportune sit; & Samuel ipse lacrymis, & precibus Saulem restituere non potuit.

III. 1. Spiritus cæcitas & cordis induratio sunt effectus plurimorum scelerum; in quę hoc Deus animadvertit supplicio, quod unum sane maxime terribile est pre iis, quę in hac vita Divina exercere possit justitia.

2. Hæc cæcitas, & induratio vicissim sunt plurimorum peccatorum causa, efficiunt enim, ut nullus pudor, nullus Dei, hominumque metus obcæcatum peccatorem revocare possint, vel inhibere.

IV. 1. Facile est in cæcitatem labi: mundi fulgor, vitæ hujus bona, & omnia fere extrinseca objecta nos fallunt, decipiunt, inducunt: *fascinatio nugacitatis obscurat bona*. Sap. 4. Affectus nostri sunt quidam veluti crassi vapores rationis, fideique luminibus caliginem offundentes. Peccata denique nostra, & ea quæ nefarie contra conscientię stimulos committimus, fidei lumen extinguunt, Dei iram accendunt, ut ab eo deseramur, efficiunt, quod profecto, & maximum & frequentissimum supplicium est, quo ille in hac vita peccatores percutiat.

2. Difficile est, atque fere impossibile sese recipere ex eo statu, in quem ultro peccator seipsum præcipitem dedit. 1. Quia peccator cæcitatem suam non cognoscit, in qua re, ab illis differt, qui corporeis oculis destituti ignorare non possunt, se usu oculorum carere; ideoque alios duces sequuntur. 2. Peccator obcæcatus amat cæcitatem suam, tantumque abest, ut quærat medicinam, quod immo de morbo suo ne loquentes quidem patiatur. 3. Remedia quæcumque pro illo adhiberi possunt, sunt inutilia; Quippe Dei timorem abjecit, & gravissima supplicia, quę illum in altera vita manent, irridet, atque inanes fabulas putat.

V. Tria extant hodie mortalium genera cæcitate laborantium, qui suam infelicitatem minime norunt, & qui ideo ad Deum confugere debent, malum deprecaturi illis Evangelici cæci verbis utentes, *Domine ut videam*.

Primi sunt, qui simpliciter in errore versantur, veluti Hæretici bonę fidei; horum quidem status deflendus est; sunt enim quodammodo cæci nati, quos nativitas, quam ab Hæreticis parentibus sortiti sunt, quos educatio, & disciplina, in qua ab aliis cæcis instituti sunt, & in falsa religione enutriti, prohibent, ne oculos aperiant lumini, & suum errorem agnoscant. Quid cæcis hujusmodi faciendum sit?

Secundi sunt, qui credendi licentiam affectant, quorum cæcitas longe quidem est periculosior, quam prior, & magis difficilis, quę curetur; quippe quę ex eorumdem præsumptione proficiscitur. Putant sibi majora adesse lumina, quam ceteris, quos tamquam spiritu destitutos, & nulla intelligendi vi præditos despiciunt: sed irreligiosi id genus mortales qui se spiritus fortes appellant, se ipsos excæcant constantissimę religionis nostrę veritates impugnando. Facile quidem est illis, in qua versantur cæcitate, ostendere; licet Divinæ misericordiæ summa requiratur, quę illos ex tenebrarum suarum caligine educat.

Tertii sunt, qui vitæ, ac morum licentiam præseferunt, qui in voluptatibus vitam traducunt, & quos amor proprius excæcat. Nolunt enim sua officia cognoscere, neque doceri, ne cogantur optatum, jucundissimumque vitę genus abdicare.

VI. Spiritualis cæcitatis infortunium potest ostendi comparatione instituta cum iis malis, quę corporeę accidunt cæcitati, duplicem hanc cæcitatis speciem simul conferendo.

Cæcus, lumine cassus, quod ipse facit non videns nihil perficere potest ex iis, in quibus oculorum acies omnino requiritur, exempli gratia in pingendo, scribendo, atque manus opera utendo. Nullum id genus, opus bonum esse potest, & juxta regulas artis elaboratum, si ab homine cæco proficiscatur. Talis est animę cæcitas: qui eadem laborantes propter scelera sua nihil boni, & saluti profuturum operantur. Immo quid agendum sit, nesciunt, optimas etiam exteriores actiones depravant, atque corrumpunt pravis intentionibus, cum faltem quoad effectus, nullam habeant conscientiam, nullam religionem: hoc enim peccatoris excæcati nomine intelligimus, nisi prorsus omnem fidem abjecit.

2. Cæcus acie oculorum destitutus in jugi errandi periculo versatur; alteram pro altera capessens viam; neque enim videt semitam, qua eundum, neque locum, quo sibi contendendum est, ideoque indiget duce, cum oculos non habeat, quibus ducat se ipsum. Hæc illa infelicitas est, in quam animę cæcitas redigit peccatores: Qui in dies singulos magis magisque aberrant, neque norunt, vel terminum, quo sibi contendendum est, æternam videlicet felicitatem, vel viam, quę ineunda est, ut illuc perveniant. Ideo illi indesinenter funestissimis erroribus a suo fine recedunt.

3. Cæcus semper in periculo est, ne cespitet, & in singulos gressus impingens, ruat in aliquod præcipitium, quod cum non videat, evitare non potest. Heu quænam in scelera, atque flagitia peccator excæcatus non ruit? nonne dici potest de præcipiti in præceps ire habenas affectibus suis relinquentem, qui illum trahunt, & qui sunt cæci duces, a quibus ille se regi finit?

Animę cæcitas nequissimę improbitatis effectus est; 1. quia voluntaria est, & peccator nonnisi sciens, & volens decidit in eamdem: 2. quia plerumque ex affectata proficiscitur ignorantia, quæ peccatorem coram Deo efficit inexcusabilem. 3. Quia est cum pertinacia conjuncta; & cœlestibus luminibus, atque afflatibus resistit. Qua in re cordis obduratio consistit, quę a mentis cæcitate separari non potest. VII.

2. Hæc cæcitas, qua Deus percutit peccatorem, maximus, & terribilis est in hac vita effectus iræ, atque Justitiæ Dei, indicio quippe est, hominem a Deo fuisse reprobatum, & tamquam in ultionis æternæ victimam reservari, ut loquitur S. Augustinus, *cum servetur in ultimam opportunamque vindictam*.

Duplex est personarum genus, quę in terribilem hanc cæcitatem prolapsæ sunt duplici via prorsus diversa, & quæ duplici item via ex tanto hoc malo sunt eruendæ. VIII.

Primi cæci sunt, absit verbo invidia, ob nimium lumen: sunt autem curiosi, qui de rebus Divinis, atque veritatibus Religionis ratione sua judicium ferre contendunt, & tantum credere volentes, quæ intelligere, & assequi possunt: de quibus loquitur Sanctus Paulus, ad Roman. 1. *dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt*.

Alii sunt cæci ob luminis defectum, hi autem illi sunt, qui in ignorantiæ tenebris volunt delitescere, ut vitiis diffluant; qui videre nolunt, ne bene agere teneantur. *Noluit intelligere, ut bene ageret*, Psalm. 35. Deus autem, ut utrosque puniat, illis suas detrahit gratias, eosque supernaturalibus luminibus ornat.

De cordis obduratione, quæ cæcitatis animi effectus est, & quinam sint gradus, per quos in hunc statum deficensus fiat. IX.

1. Validior peccati contrahitur habitus, qui efficit, ut metum, pudoremque omnem amittamus, & fatali necessitate cogente eo usque proceditur, ut tantum mali evitare ne conemur quidem eo quod illius gravitatem, & quidnam ex eo, consequatur, ignoramus.

2. Fortiter resistimus cœlestibus luminibus, atque ipsos etiam conscientiæ stimulos retundimus intrinsecus nostram infidelitatem redarguentes.

3. Denique ad cæcitatis cumulum, integramque obdurationem evadimus, cum conscientiæ stimulis non urgemur amplius; sed tranquille in sceleribus vitam ducimus tamquam bonis cogitationibus inaccessibiles.

Quemadmodum cęcitas procedit ex repulsa, qua vel homo Dei gratias admittere non vult, vel qua Deus illi deinceps non vult gratias concedere, duplici ratione considerari potest, quæ duplex hoc repulsæ genus complectatur, & Sermonis partitionem efficiat. X.

1. Repulsa, qua homo Dei gratias abjicit, & quot modis illas abjicit. Ostendenda est hujus repulsæ indignitas, ingratitudo, quæ tanto beneficio rependitur; contumelia, quæ Deo infertur, &c.

2. Repulsa, qua vicissim Deus homini suas gratias denegat, & quas paulatim subtrahit in pœnam contemptus, quo habitæ fuerunt a peccatore, in qua subtractione cæcitas ipsa consistit.

Idem argumentum aliter proponi potest. 1. Nolumus illuminari, & resistimus supernis luminibus, quæ nobis ob oculos subjiciunt officia nostra, &

quid præſtare teneamur; quod efficit cæcitatem, adeo noxiam, & inexcuſabilem. 2. Deus viciſſim juſto judicio nobis renuit ea lumina, quæ a nobis fuerunt neglecta, atque contempta, quod cæcitatem hanc efficit incurabilem.

XI. Poſtquam fuerit oſtenſum, quid ſit animæ cæcitas, & in quo conſiſtat; funeſti ejuſdem effectus conſiderari poſſunt in iis verbis, quæ ſecundo Sapientiæ capite proferunt homines nequam.

Primo mentem pervertit delens impreſſiones timoris Dei, & omnes ſenſus religionis, ita ut rati peccatores præter hanc non aliam vitam inveniri, omnibus ejuſdem voluptatibus perfrui deſiderant, ſeſe impudicitiis, omnibuſque flagitiis ingurgitantes: *Non eſt, qui agnitus ſit reverſus ab inferis, quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tamquam non fuerimus .... Venite ergo & fruamur bonis.*

2. Extinctis autem omnibus fidei luminibus, omnibuſque ſtimulis conſcientiæ, quæcumque flagitiorum genera patrant, & ad id legitima etiam auctoritate abutuntur, ſi forte eadem decorantur: *Opprimamus pauperem juſtum, & non parcamus viduæ: ſit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ.*

3. Omnes adimit vias, quibus improbus ſeſe recipere poſſit, atque ex infelici ſtatu emergere.

XII. Cæcitas hæc conſiderari poteſt præcipue in iis gradibus, per quos mortalis in tantam decidit calamitatem.

1. Incipit quidem in homine cæcitas ex primis peccatis; cum enim peccatum ſit opus tenebrarum, nonniſi tenebras producere poteſt in peccante.

2. Hæc deinceps convaleſcit per fallacem tranquillitatem, quam in peccando nanciſcitur impius.

3. Deus, ut peccatum puniat, permittit, peccatorem perficere quidquid ad cæcitatem explendam requiritur, gratiæ reſiſtendo pertinaciter.

XIII. In animæ cæcitate, vel cordis obduratione tria ſpectari poſſunt. Primum quid ſit, & in quo conſiſtat; alterum unde proficiſcatur, & quid tenebras has menti offundat, & cordi hanc inſenſibilitatem immittat. Tertium quid hæc cæcitas & inſenſibilitas pariant. Triplici verbo, Principia, Natura, & Effectus.

XIV. Cum cæcitas non aliud ſit, quam earum rerum ignorantia, quæ ſaluti vel utiles ſunt, vel omnino neceſſariæ; triplex ignorantiæ genus diſtingui poteſt. 1. Ignorantia craſſa, vel negligentiæ: 2. Ignorantia affectata, atque induſtriæ, quemadmodum loquitur Scriptura Job 34. *Qui de induſtria receſſerunt a te*: 3. Ignorantia ſupplicii.

XV. Cæcitas, quæ peccatum comitatur, & ab eo divelli non poteſt. *Omnis peccans ignorans*. 1. Oſtendendum eſt in quonam illa conſiſtat, & quidnam ſit.

2. Cæcitas, quæ ſequitur peccatum, & ejuſdem eſt pœna, ac ſupplicium, ubi pœnæ hujus magnitudo eſt amplificanda.

3. Utraque autem ſit funeſta plurimorum ſcelerum cauſa. *Idem in Quadrageſima in Evangelium Cæci nati*.

Aliter efferri poteſt hæc tertia pars, atque ita proponi. Cæcitas, quæ omnia ſimul peccata congerit, atque eſt tamquam vexillum, ſub quo omnia conveniunt.

Triplex cauſa cæcitatis.

XVI. 1. Peccator prava cordis ſui diſpoſitione ſe ipſum excæcat.

2. Dæmon, qui eſt princeps tenebrarum, illum excæcat dolo, & objectis fallacibus, quibus mundus refertus eſt.

3. Dei juſtitia irritata peccatoris nequitiam illum variis rationibus excæcat. *Pater Texier de Sermone de Cæco nato*.

XVII. Quædam cæcitas eſt peccatum, quædam cauſa peccati, & quædam peccati pœna; ubi oſtendendum

1. Cæcitatem quæ peccatum eſt, maximum eſſe ſalutis obicem.

2. Cæcitatem quæ eſt cauſa peccati, licet ſæpius pro excuſatione aſſeratur, verum eſſe peccatum.

3. Cæcitatem, quæ eſt pœna peccati graviſſimum eſſe ſupplicium, quo Deus peccatorem percutere poſſit, *Deſumptum ex Quadrageſima, quæ Pater Bourdalove nomine circumfertur Sermone de Cæco nato*.

XVIII. Oſtendi poteſt: 1. undenam hæc cæcitas proficiſcatur, & quibus gradibus ad eam perveniatur. 2. Quinam ſint cæcitatis hujus effectus, ubi nihil magis deplorandus peccator eſt, quam cum ſe feliciſſimum putat: *Hæc partitio eſt Auctoris concionum in omnia Moralis Chriſtianæ argumenta Tomo ſecundo Quadrageſimæ*.

PARAGRAPHUS II.

Fontes, atque Auctores, unde hauriri poteſt copia ad propoſitas concionum ſtructuras elaborandas.

SAnctus Auguſtinus *lib. de natura & gratia* loquitur de antiquorum Philoſophorum cæcitate, eamque oſtendit ambitionis, aliorumque vitiorum pœnam fuiſſe. Sanctus Pater.

Idem in hæc verba Pſalmi 57. *Superecidit ignis, & non viderunt ſolem*, oſtendit peccatorum cæcitatem juſtum eſſe ſcelerum eorumdem ſupplicium.

Idem in ea verba Pſalmi 68. *Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva*: oſtendit nexum eorum verborum, quę attulimus, & illationem alterius partis propoſitionis ex altera: hoc certiſſimum eſſe, & qui in cœleſtibus cæci ſunt, non poſſe terrena non cogitare, & erga illa non ferri.

Idem in hæc verba Pſ. 147. *Nebulam ſicut cinerem ſpargit*; oſtendit eos, qui ſe magis perſpicaces putant, plerumque magis cæcos eſſe.

Idem *Quæſt. ſuper Exod. Quæſt.* 28. oſtendit, quomodo cor induretur, & quonam in ſenſu illud induret Deus.

Idem *l. Expoſ. Epiſt. ad Rom.* explicat quomodo peccator obduratus per eadem puniatur ſcelera, quę in hoc ſtatu committit.

Idem *Sermone 88. de Tempore* oſtendit a Deo peccatorem non deſeri, niſi Deus a peccatore deſeratur.

Idem *in Pſalm.* 89. docet Deum numquam ſeverius in peccatorem animadvertere, quam cum illum ipſius tradit conſilio, atque in propria cęcitate relinquit.

Idem *in Soliloquiis* iis verbis cęcitatem deſcribit, in qua ſuam tranſegerat adoleſcentiam, quę mirum in modum eam exprimunt calamitatem, quam tunc ignorabat.

S. Gregorius *l.* 16. *Moral.* hęc explicans verba ex capite Job 24. *ipſi fuerunt rebelles lumini*, oſtendit, quinam ſint, qui ſeipſos excęcant, & mox in ſua permanent cęcitate.

Idem *l.* 2. *Moral.* fuſius explicat, quid ſit cæcitas, & quod malum pariat exemplis, & Scripturarum penu depromptis.

Idem *lib.* 34. *Moral. c.* 3. hæc explicans Jeremię Prophetę verba, *Ego vir videns paupertatem meam in Virga indignationis ejus*, oſtendit peccatorem excæcatum, ſuam cæcitatem, ſuamque calamitatem ignorare.

Idem *l.* 5. *in c.* 1. *Regum* explicat, quomodo peccatores ſint cæci.

Idem *l.* 7. *in Job c.* 13. explicat, quomodo cæcitas in anima fiat, & unde procedat.

Idem *Homil.* 2. *in Evang.* oſtendit, quomodo omnes homines propter Adæ peccatum cæci naſcantur.

Hieronymus *in ſecundum caput Proverbiorum* hæc explicans verba, *qui relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas*; fallacem improborum excæcatorum ſecuritatem oſtendit.

Idem *in cap.* 38. Job de peccatorum obduratione verba facit.

S. Ambroſius *l. de Cain, & Abel*, oſtendit peccatoris calamitatem, qui in cæcitate verſatur.

Origenes *l.* 3. *in cap.* 3. *Job* hęc verba explicans; *noctem illam tenebroſus turbo poſſideat*, ait dæmonem nobis offendere cæcitatem, ne in quævis ſcelerum genera trahat.

Idem *Homil.* 6. in Iſaiam hęc interpretatus Prophetæ verba, *ne quando videant oculis, & auribus audiant*, varias ſpiritualis cæcitatis cauſas adfert, cum corporea cæcitate collatas.

S. Baſilius *Homil.* 10. *ſuper Pſalm.* 37. oſtendit, unde oriatur cæcitas cordis, & effectus illius.

Didacus de la Vega *cap.* 1. *de peccatis* §. 8. Aſcetici.

Omnes illi qui Meditationes ediderе in anni Evangelia; in Dominicam Quinquageſimæ & Cæci nati Evangelium.

Granatenſis *Conc. Fer.* 6. *poſt Dominicam Paſſionis*. Concionatores.

Idem

Idem *Fer.* 4. *poſt Dom.* 4. *Quadrag. Conc.* 2.

Gaſpar Sanchez *Fer.* 4. *poſt Domin.* 1. *Quadrag. diſcurſu*.

P. Delingendes *in Quadrag.*

Idem *Fer.* 4. *poſt Dom.* 4. *Quadrag.*

Reina *Conc.* 25. *Quadrag.*

Biroat *Sermone pro Fer.* 4. *poſt Domin.* 4. *Quadrag.*

Idem loquitur de hac re etiam in ſecundo Sermone Adventus de mundi damnatione.

P. Maimbourg *Sermone de cæco nato*.

Oudeam in Adventu de inſigni peccatore.

Joly in tertio, & quarto Sermone de peccato mortali, verba facit de peccatoris cæcitate, & induratione.

Auctor Sermonum Chriſtianorum in omnes anni Dominicas. *Dom.* 2. *Adventu*.

Abbas de Breteville *Sermone pro Fer.* 4. *poſt tertiam Quadrageſimæ Dominicam*.

Idem *in Fer.* 4. *poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam* plura habet Sermonum ſpecimina de cæcitate.

Auctor Sermonum in omnia Ethicæ Chriſtianæ argumenta Sermonem habet de Spirituali cæcitate *Fer.* 4. *poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam*.

Idem verba facit de cordis obduratione *in Tomo* 3. *Dominic. nona poſt Pentecoſten Dominica*.

Idem Tomo tertio peculiarium Sermonum Sermonem habet de malis, quibus obnoxius eſt, qui a Deo derelinquitur.

P. de la Colombiere in conſiderationibus Chriſtianis.

Joannes Lopes in Epit. Sanct. Pat. l. 3. c. 4.

Qui collectanea ediderunt. Bercorius (*verbo*) *cæcitas*.

Summa prædicantium (*verbo*) *viſus*.

Labata (*verbo*) *cæcitas*.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, & Scripturarum applicationes huic argumento.

INdurabo cor ejus, & non dimittet populum meum. Exod. 4. 7. 9. &c.

Induravi cor ejus, & ſervorum ejus, Ibid.

Deus meus illumina tenebras meas. Pſalm. 17.

Fiat lux: & facta eſt lux. Geneſ. 1.

Hodie ſi vocem ejus audieritis; nolite obdurare corda veſtra. Pſalm. 94.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte. Pſalm. 12.

Noluit intelligere ut bene ageret. Pſalm. 35.

Percutiat te Dominus amentia & cæcitate, ac furore mentis, & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris. Deuter. 28.

Non audivit populus meus vocem meam: & dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum; ibunt in adinventionibus ſuis. Pſalm. 80.

Fiat via illorum, tenebræ & lubricum. Pſalmus 34.

Obſcurentur oculi eorum ne videant. Pſ. 68.

Neſcierunt, neque intellexerunt; in tenebris ambulant. Pſ. 82.

Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea; & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. Pſ. 37.

Accedite ad eum, & illuminamini. Pſalm. 33.

Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via hac qua gradieris. Pſ. 31.

Numquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua? Pſ. 87.

Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Pſ. 42.

Hæc cogitaverunt, & erraverunt; excæcavit enim illos malitia eorum. Sapient. 2.

Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis; viam autem Domini ignoravimus. Ibid. 5.

Impius cum venerit in profundum peccatorum, contemnit. Prov. 18.

Cor durum habebit male in noviſſimo. Eccli. 3.

Recede a nobis; ſcientiam viarum tuarum nolumus. Job 22.

Ipſi fuerunt rebelles lumini; neſcierunt vias ejus. Idem, c. 24.

Ergo erravimus a via veritatis, & juſtitiæ lumen non illuxit nobis; & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Sap. 5.

Auferetur ab impiis lux. Job 38.

Scivi enim quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea. Iſai. 48.

Excæcavit cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude; ne forte videat oculis ſuis, & auribus audiat, & corde ſuo intelligat, & convertatur; & ſanem eum. Idem, c. 6.

Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Idem, c. 9.

Lucerna impiorum extinguetur, Prov. c. 13.

Percuſiſti eos, & non doluerunt; attriviſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam; induraverunt facies ſuas ſupra petram, & noluerunt reverti. Jerem. c. 5.

Inſipientes ſunt & vecordes; ſapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Idem, c. 4.

Deſolatione deſolata eſt omnis terra, quia nullus eſt qui recognet corde. Idem, c. 12.

Palpavimus quaſi cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectavimus: impegimus meridie, quaſi in tenebris. Iſaiæ 59.

Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video? Tob. 5.

Ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt. Sophon. 1.

Cor ſuum poſuerunt ut adamantem, ne audirent legem .... & facta eſt indignatio magna a Domino exercituum. Zach. 7.

Occidet Sol in meridie. Amos 8.

Error & tenebræ peccatoribus contreatæ ſunt. Eccli. c. 4.

Oculos habentes non videtis, & aures habentes non auditis. Marci 8.

Contriſtatus eſt Jeſus ſuper cæcitate cordis eorum. Idem, c. 3.

Sinite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Matth. 15.

Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & ſanem eos. Joan. 12.

In mundo erat, & mundus eum non cognovit. Joan. 1.

Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Joan. 3.

In judicium ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Idem 9.

Væ vobis duces cæci, & duces cæcorum. Matth. 23.

Dura cervice, & incircumciſis cordibus & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Act. 7

Adhuc modicum lumen in vobis eſt: ambulate dum lucem habetis; ut non vos tenebræ comprehendant. Joann. 12.

Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum .... Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum. Ad Rom. 1. v. 21. & 28.

Tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a via Dei, per ignorantiam quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis eorum. Ad Epheſ. 4.

Deus hujus ſæculi excæcavit mentes infidelium; ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii. 2. Ad Corinth. 4.

Mittet illis Deus operationem erroris. 2. Ad Theſſal. 2.

Non obſcuretur quis ex vobis fallacia peccati. Ad Hebr. 3.

Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia. Sapientiæ 4.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum huic argumento.

SInite illos: cæci ſunt, & duces cæcorum. Matth. 15. Ita Dei filius loquitur de Scribis, & Pharisæis quaſi ſalus eorum eſſet omnino in deſperatis: ſinite illos neque eorum ſalus vobis amplius negotium faceſſat. At enim Domine, ſi ita eos deſeris quin ad illos loquaris, & de ſuis officiis illos erudias; actum eſt; in nullam reditus ſpem interibunt! Ideo immo relinquendi ſunt, quia nulla ſpes eſt. Quaſi diceret: pereant, quia volunt; hæc eorum nequitia eſt: in ſceleribus ſuis excæcati, & indurati ſunt: nihil fieri poteſt; malum eorum medicinam non patitur, quia medicinam recipere nolunt. Cæcitas, in qua erant Pharisæi, & in qua Dei Filius eos reliquit.

Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum. Ad coloſſ. 1. Notandum eſt, inquit eruditus quidam In-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

terpres, Apostolum non dicere JESUM CHRISTUM nos de tenebris eripuisse, sed de potestate tenebrarum; Quæ enim major potestas ea, quę olim Philosophos Ethnicos, & Sapientissimum quemlibet Judæorum excæcavit; quę ad hanc quoque diem infideles omnes æque excæcat, atque captivat, eosque ita subjicit, ut prorsus Divina requiratur potentia, ut de hujus captivitatis squalore educantur, & omnipotentis gratiæ lumen, ut tenebrę dissipentur?

Cæcitas Adæ.

Scit Deus, quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri. Gen. 3. Cum Dæmon sub serpentis figura protoparentes nostros decepit, eis suasit, ut Creatoris sui præceptum infringerent, futurum pollicitus, ut simul ac vetitum gustassent fructum, oculi eorum aperirentur, & ipsi boni, atque mali cognitionem assequerentur. Sed accidit e contra: tunc enim funesta cæcitate fuere percussi, ad omnem etiam posteritatem transmissa, quemadmodum innuit Adę responsum Deo: *vocem tuam audivi ..... & abscondi me.* Gen. 3. Quæ enim major cæcitas, Sanctus Gregor. l. 15. Moral. inquit, quam credere Deum cæcum esse, ac nos latebras quærentes illum fallere posse? *Ecce peccatoris cæcitatem, qui judicat Deum esse cæcum, & scelera ejus non videre.*

Fiat lux: & facta est lux. Genes. 1. Quemadmodum post Mundi creationem Deus statim lucem produxit, sine qua creatæ quæcumque res corporeæ decore suo caruissent, densa quippe tenebrarum caligo super abyssi faciem erat effusa; ista etiam agit ille in peccatoris ad gratiam regeneratione, quę quædam est veluti nova creatio. Peccatoris anima est tamquam abyssus opacissimis undequaque tenebris circumsepta: ideoque neque videt periculum, ubi est, neque ea mala, in quæ prope est, ut delabatur. Opus est, ut Deus in abyssi hujus imum suum lumen immittat, & huic animę infelicissimum statum, in quo versatur, aperiat. Hæc est Sancti Augustini Sententia.

Quid sit peccator excæcatus.

Dixit homo, cujus obturatus est oculus. Num. 24. Hoc quod Scriptura ait de Balaam Pseudo-propheta, dicere possumus de tot mortalibus, qui nihil melius aut vident, aut cogitant. Quisnam est ille, qui ita credit & loquitur? Qui sensus fovet parum adeo Evangelio, & rectę rationi conformes? qui parum adeo sævissimam irritati numinis ultionem extimescit? Homo est in scelere suo excæcatus, qui cæce ruit in malorum omnium abyssum, qui, licet undequaque cœli perstrepant minæ, ulterius etiam progredi paratus est: homo ex eorum numero, de quibus loquitur Sanctus Hieronymus, *qui nihil timent, quia nihil vident.*

Facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ. Ps. 10. Nox ingruit, inquit Propheta, cujus beneficio feræ omnes, quæ in lustris, & saltibus detinentur, impune pertransfeunt. Donec fidelis oculorum usum & gratiæ lumen obtinet; animi ægritudines prodire non audent ad eum sollicitandum; earum vim prævidet, & avertit; peccati horrorem, atque turpitudinem agnoscit: sed ex quo nox incubuit, atque ipse cæcitate perculsus est, omnes statim prodeunt affectus, omniaque eorum mala feruntur, quia illis ne animus quidem advertatur; sese offert injustitia, non videtur; impudicitia prętervolat, omniaque scelerum genera, haud ęgre, & sine conscientię stimulis perpetrantur. *Hæc est applicatio Biroat Sermone de cæcitate in Quadragesima.*

Tempus noctis, quod generatim status est peccati, peculiariter magis est cæcitas, quæ peccatum subsequitur.

Venit nox, quando nemo potest operari. Joann. 9. Hęc nox, de qua Salvator loquitur in Evangelio, intelligi plane potest de peccati statu, in quo quęcumque fiant, sunt ęternę saluti inutilia: verum illius horror major adhuc videbitur, si cum Sanctis Patribus particularius intelligatur de tenebris cęcitatis, per quas, qui eadem percussi sunt, videre nequeunt, neque viam salutis ineundam, neque viam perditionis evitandam, in qua festino gradu procedunt: licet non omnis peccator statim ad infelicissimum hunc statum redigatur, & hęc illum minime fallant, quoniam causa sunt interiorum certaminum, tumultuum ac timorum, qui sępe eidem sunt saluberrimi. Sed in cęcitate omnia silent, & lumina extinguuntur. Non attenditur ultra terminus, quo contendendum est; non agnoscitur pulchritudo virtutis, aut vitii deformitas: uti neque meritum sanctitatis, & supplicium, quod scelera manet. Per noctem hanc non videmus laqueos, qui ubicumque parati sunt; verbo, nihil boni conamur, nullum malum est, cui pa-

BIBLIOTECA CENTRAL U.A.N.L.

trando parati non simus.

Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra. Exod. 10. Notandum est ex omnibus plagis, quibus olim Deus percussit Ægyptum, tenebrarum tantummodo, obscuræque noctis plagam, quæ tribus diebus incubuit, in scripturis horribilem appellari; quantumvis aliæ etiam plagæ populo huic æque injusto, ac infideli, gravissimum detrimentum attulerint. Quod ideo factum Sanctus Augustinus ait, ut doceremur, ex omnibus suppliciis, quæ in hoc mundo divina exercet Justitia adversus peccatores, nullum gravius & horribilius esse cæcitate, atque tenebris animæ; hoc enim apertissimum indicium est, eos, qui ita affecti fuere a Deo, reprobatos esse, atque in æternum derelictos.

Impii in tenebris conticescent. 1. Regum cap. 2. Cæci mente minus dolent suam infelicitatem, quam cæci corpore: Hi enim sępe queruntur, & morbi sui curationem inquirunt & expetunt; uti cæcus ille, qui petiit a JESU CHRISTO: *Domine ut videam.* Hoc non accidit in spirituali cæcitate; qui enim hac percussi sunt, complacent sibi in tenebris suis, & quin putent, ut inde eripiantur, in dies magis in easdem immerguntur; alii quidem, quia calamitatem suam non cognoscunt; alii vero, quia sibi majus esse lumen falso opinantur, quam iis omnibus, qui in via Dei magis sunt illustrati, ideo neminem consulunt, &c. *Impii in tenebris conticescent.*

Exempla veteris Testamenti.

Pharaonis Exemplum.

CEleberrimum obcæcatæ mentis, induratique cordis exemplum, quod in Scripturis occurrat, Pharaonis est, qui propter pertinaciam cæcus, & rebellis mandatis Dei, meritus est, ut tamquam terribilis hujus supplicii exemplum proponeretur. Tot enim mirabilibus prodigiis victus, cum intelligere debuisset, Deum velle, ut populum suum abire permitteret, numquam cedere voluit minis, vel plagis, quibus illum cum populo, totaque aula divina Justitia percussit: *induravi cor Pharaonis*, Deus inquit in Exodo, c. 4. non quod positiva actione cor illius induraverit; sed quod permiserit, ipsum, in obstinatione, & cæcitate sua persistere, quæ profecto calamitosior fuit, quam terribiles illæ tenebrę, quę triduo totum regnum illius obsederunt.

Exemplum Israelitarum.

Neque minus admirabilis est Israelitarum, qui Dei populus erant, cæcitas: Quandoquidem ex Ægypti servitute, & Pharaonis tyrannide tot miraculis liberati, obliti sunt Omnipotentis Dei, qui illos palam protexerat, ut insanissima cæcitate, & nequissima Idololatria aureo vitulo thus adolerent. Hoc Deus illis toties exprobravit: *Popule stulte, & insipiens*, Exod. 32. *Video, quod populus iste duræ cervicis sit* &c. Deuter. 32. Ita deinde derelicti fuerunt omnino: & Deus pergit adhuc ea præbens argumenta, quibus illos a se derelictos ostendit, in ea mentis cæcitate, & cordis obduratione, quam nihil umquam persringere valeat.

Davidis exemplum satis patet, qui statim ac oculos corporis aperuit, ut curiosius mulierem quamdam aspiceret, tum visus est cœlesti lumini oculos animæ clausisse; destitit enim incedere in via mandatorum Dei, atque vitam orsus & prorsus flagitiosam atque a Dei cogitatione penitus alienam. Formæ fatalis amor ita mentem illius occæcavit, ut nonnisi post annum sese collegerit, atque opus fuerit, ut arte Propheta Nathan uteretur, eumdem de erroris sui tenebris seducturus, atque ostensurus eidem mala, in quæ suum scelus ipsum projecerat.

Salomonis Exemplum.

Nulla unquam oblivione delebitur funestissima cæcitas Filii, & successoris ejusdem; Salomonis videlicet qui cum esset mortalium omnium sapientissimus, eousque insaniæ, & impietatis evasit, ut Idolis alienigenarum mulierum, quas duxerat uxores, & templa ædificaret, & offerret sacrificia: adeo in perspicacissimas etiam mentes passio insana, atque fervens caliginem, tenebrasque effundere consuevit.

Cæcitas senum, qui Susannæ stuprum inferre adnisi sunt.

Probrosorum Senum cæcitas, qui Susannæ pudiciam labefactare adnisi sunt; inter cetera exempla magis elucet: ex quo enim libidinosam hanc mentem fovere incœperunt, *Declinarunt oculos suos, ne viderent cœlum*, Dan. 13. & sceleris quod meditabantur enormitatem. Semet excæcarunt, ne seipsos viderent, ne suæ ætatis, & dignitatis,

tatis, quam in populo obtinebant, reminiscerentur &c.

Samson excæcatorum peccatorum figura.

Samson, cum Philistiim oculos effoderunt, proculdubio apertissima est eorum malorum imago, in quæ animæ cæcitas peccatorem detrudit. Hoc virium, roboriśque prodigium simul ac excæcatum fuit, factum est inimicorum suorum opprobrium, qui illum ferreis vinculis onerarunt, atque in conviviis irriserunt, & denique eum in statum redegerunt, ut ex illorum manibus elabi non posset, neque ultionem repetere, nisi sibimet necem conscifcens obrutus ruinis templi, quod post reparatas, quas amiserat, vires, concussit, atque subvertit.

Syrorum cæcitas.

Videtur denique in Scripturis ingens hominum, immo etiam populorum numerus, quos in suorum scelerum pœnas excæcavit Deus, & quorum mala respicere possumus, ut ea melius intelligamus, tamquam depicta in ea etiam materiali cæcitate, quæ illis militum copiis accidit, de quibus sermo est quarto Regum libro capite sexto, a Rege Syriæ missis ut Prophetam Elisęum caperent, & quę ab eodem Propheta sese duci passæ sunt, quin cognoscerent, vel quem ducem sequerentur, vel quem in locum deducerentur: *Percute obsecro gentem hanc cæcitate; & percussit eos Dominus, ne viderent juxta verbum Elisei.* Erant illi in medio inimicorum suorum, atque præ gaudio exultabant rati, se quam primum in potestate habituros præcipuum Samariæ clypeum, & validissimum illius propugnaculum. Cum vero Propheta ex Deo petiit, ut illis tandem oculos aperiret, ut periculum, in quo erant, cognoscerent; tunc tandem intellexerunt, se esse Samariæ in urbe ejus Regni Metropoli, cum qua bellum gerebant, & in maximo extremæ internecionis periculo, si illos ad unum deleri passus fuisset Elisęus.

Exempla Novi Testamenti.

Cæcitas Scribarum & Pharisæorum.

IN toto Testamento novo nulla insignis est cæcitas mentis, quam illa Doctorum legis erga Messiam, quem agnoscere noluerunt, licet tot sibi apertissima suppeterent argumenta: quamobrem *cæci, & duces cæcorum* a Domino nuncupantur. Eorum vero cæcitas in triplici occasione præsertim enituit.

Prima, cum Magi Jerosolymam venerunt petitum, ubi unus Rex Judæorum natus fuisset, Legis enim Doctores Herodi, a quo coacti, consuetique fuerant, responderunt Messiam in Bethelem esse nasciturum. Illum sub idem fere tempus præstolabantur; hoc enim Prophetæ palam portenderant; videbantque stellam, quæ Magos deduxerat, & quod signum futurum erat adventus hujus Regis gloriæ tamdiu expectati, & enixius expetiti. Hoc nuntio turbati fuerunt. & merito credere poterant non deesse extraordinarium aliquid in ejus pueri nativitate, quem Magi quærebant. Quænam igitur cæcitas nolle hoc sibi curæ, laborisque sumere, ut ipsi quoque eos locos adirent, atque ulterius rei veritatem explorarent!

Alterum cæcitatis eorumdem argumentum est, eorum factum, ubi viderunt Dei Filium cæco nato oculorum aciem elargitum. Adeo verum, & insigne fuit illud miraculum, ut quidquid conati fuerint, prohibere non potuerint, ne elucesceret. Illud vero ipsos maxime cæcos esse probavit, quod postquam inutilem navarunt operam, ut caliginem miraculo offunderent hujus prodigii auctorem a Deo profectum esse, & talem esse posse, qualem seipsum ferebat, videlicet filium Dei: sed invidia, & Zelotypia, qua in ipsum flagrabant, illos excæcavit: *excæcavit illos malitia eorum.* Sap. 2. 21.

Tertium, maximumque cæcitatis hujus argumentum fuit consilium Salvatorem perdendi propter famam, quæ de Lazari resurrectione percrebuerat, atque æstimationem, quam illi miraculorum, quæ quotidie patrabantur, frequentia comparaverat. *Quid facimus; quia hic homo multa signa facit?* Joan. 11. *Videtis quia nihil proficimus: Ecce Mundus totus post eum abit.* Joan. 12. Nonne extrema cæcitate percussos esse oportebat, ut inde consequentatis, inferrent recto sensui, omnique generi æquitatis? Immo etiam propriæ utilitati prorsus oppositam?

Alia cæcitatis exempla.

Post hæc supervacaneum reor afferre exempla vel Judæ ob avaritiam excæcati; vel militum, qui Dei Filium in horto apprehenderunt, licet unico ejusdem verbo fuissent prostrati: vel judicum, qui illum morte damnarunt, & qui mox satellites sepulchri custodes auro corrumpere adnisi sunt prohibituri, ne illi resurrectionem Domini, cujus testes fuerant, nuntiare vellent, vel Judæorum tandem, qui enixius efflagitarunt mortem illius, quem cum admiratione audiverant, & tamquam summum prophetam coluerant.

In hoc autem argumento potissimum occurrit notanda ea fraus, qua Sergius Paulus Proconsul ex ea convaluit cæcitate, in qua erat, tamquam Ethnicus atque in Idololatria inutritus: ea vero capite decimotertio in actis Apostolorum refertur. Cæcitas hæc pressius sumpta eadem omnino non est, ac illa de qua loquimur; aliquis enim Ethnicus esse potest, qui a salutari converfione tantum abhorreat, & distet, quantum Christiani complures, qui fortasse ab Ecclesię fide penitus non recesserunt. Ratio tamen, qua curatus fuit, hac in re pulcherrimum suppeditate potest instructionis argumentum. Cæcitas per aliam cæcitatem curatur. Cum Proconsul ille vidisset insignem quemdam veneficum, qui Elymas vocatur, cæcum fuisse factum ad solam Sancti Pauli vocem, & ad eas exprobrationes, quibus Apostolus illum redarguerat, omnipotentem Dei Christianorum manum agnovit, & sese ad fidem convertit. Tot igitur, quæ huc usque attulimus exempla cæcis Christianis mentis aciem afferre non poterunt?

PARAGRAPHUS IV.

Sanctorum Patrum Loci, & Sententiæ in hoc argumentum.

PEccatoris mens tanto altius tenebrescit, quanto nec damna sua cæcitatis intelligit; unde fit, divino munere, ut flagella oculos delinquentis aperiant, quos inter vitia securitas cæcabat. 3. Greg. l. 6. Moral. c. 17.

Non cor peccantis Dominus obdurat, sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Idem, Hom. 4. in Ezechielem.

Plangit eos (Christus) qui nesciunt cur plangantur. Idem, Hom. 28. in Evang.

Quid inter membra nostra præstantius est oculis, qui nobis omnium operum magistri sunt, & duces? S. Greg. Niss. orat. 7. Cantic.

Quod Sol & Luna in Cœlo, sunt oculi in homine. S. Amb. l. 6. Hexam. c. 8.

Sicut cæcus non potest aspicere in splendorem luminis, sic non potest intelligere homo malignus mysteria pietatis. S. Chrys. Hom. 40. in Matth.

Habet hoc infelix consuetudo peccandi, ut quanto amplius quisque peccaverit, tanto minus peccata ipsa intelligat. Euseb. Emiss. Hom. 7.

Ita Dei est non intelligere delicta, ne sequatur pœnitentia; sicut scriptum est: Dedit illis Deus oculos ut non videant, & aures ut non audiant. S. Cyprian. Epist. 3.

Cæcitatis duæ species facile concurrunt, ut qui non vident quæ sunt, videre videantur quæ non sunt. Tertull. Apol. c. 9.

Cæcitas est cordis, quam solus removet illuminator Deus. S. Aug. l. 5. contra Jul. c. 3.

Illa est pœna peccati justissima, ut amittat unusquisque illud, quo bene uti noluit; ut qui sciens recte non facit, amittat scire quod rectum est. Idem, l. 3. de libero Arb. c. 18.

Sic excæcat, sic obdurat Deus deserendo, & non adjuvando: quod occulto judicio facere potest, iniquo non potest. Idem, tract. 53. in Joann.

Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Idem, Epist. 105. ad Sixtum.

A tenebris somniorum excipient eum tenebræ tormentorum. Idem, in Ps. 48.

Tollantur alicui oculi corporis; omnes miserum dicunt; perdat oculos mentis, sed tamen circumfluant omnia temporalia; felicem appellant. Idem, in Ps. 68. Serm. 2.

Cæcus eram, & cæcitatem amabam. Idem, in Confess.

Exhalabantur nebulæ de nebulosa concupiscentia carnis, & offuscabant cor meum. Idem, l. 2. Confess. c. 2.

Spargens pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Idem, l. 1. Confess. c. 18.

Vę

Væ cæcis oculis, qui te videre non possunt, Sol illuminans cœlum & terram! væ caligantibus oculis, qui te non vident!

Deus neminem deserit, nisi deseratur. Idem lib. de Natura, & Gratia, c. 26.

Ambulabam per tenebras, & lubricum, & quærebam te foris a me; & non inveniebam Deum cordis mei. Idem l. 6. Confess. c. 1.

Exordium pœnarum animæ avertentis se a Deo vero lumine, est ipsa cæcitas. Idem, Serm. 38. de Verbis Domini.

Via illorum, tenebræ ac lubricum, ait Psalmista. Tenebræ sunt: quis non horreat? lubricum? quis non timeat? Idem, in Ps. 38.

Volvebar in tenebris, & per tenebras, ad tenebras ambulabam. Idem.

In hac anima, ut in Ægypto, trium dierum fiunt tenebræ, id est triplex obcæcatio, qua non videt cœlestem felicitatem, terrestrem infelicitatem, & inferni acerbitatem. Idem, Serm. 38. de Verbis Domini.

Cum magnum malum homines puteat oculorum corporalium cæcitatem, quia lux ista retrahitur; quantam ergo pœnam patitur, qui secundis rebus, eo perducitur, ut non sit Deus in conspectu ejus, Idem in Ps. 9.

Hæc est inclinatio & casus miserrimus, dum animus hominis in suis iniquitatibus quasi prosperatur; & parci sibi putat! cum excæcetur, & servetur in ultimam opportunamque vindictam, Idem, ibidem.

Cain divina voce admoneri potuit, mutari non potuit; jam intus cor ejus reliquerat, qui foris verba faciebat. Sanctus Gregorius lib. 11. Moral. c. 18.

Quid superbi nolunt facere quod cognoscunt, hac pœna puniuntur, ut nec cognoscant mala quæ faciunt: quia enim prius sciendo rebelles sunt; postea cæcantur ut nesciant, Idem, l. 1. Moral. c. 1.

Odiosa illa duritia est, hoc est insensibilitas cordis, quando homo nec se sensit, nec alium; nec pietate flectitur, nec precibus movetur; exemplis non inducitur: minis non terretur; beneficiis induratur, flagellis non eruditur; frontosus ad turpia, pronus ad illicita. Richard. a Sancto Vict. c. 4. de Amor. insep.

Merito obscuratum est insipiens cor eorum; quia cum veritatem cognoscerent & contemnerent, jure receperunt in pœnam, ut nec cognoscerent eam. Bernard. Epist. 3.

Erit tempus, quando non erit locus, cum ille fons miserationis interminabili siccabitur siccitate. Idem, Serm. de Dilig. Deo.

Cor durum est quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit; nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur; ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sæcum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum oblivisceus, præsentium negligens; futura non prævidens ..... & ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec hominem reveretur. Idem, l. 1. de Considerat.

Quæris quid sit cor durum: si non expavescis, tuum est. Idem; ibid.

Vehementer claudit oculum cordis, amor privatus. Greg. Hom. 4. in Ezech.

Cura multiplex terrenarum rerum, quia occupat, excæcat. Idem in c. 22. lib. Job.

Non videre, pœna peccatoris est, adhuc tamen in hoc sæculo viventis; videre autem non posse, est mortui impii, in alio jam sæculo, æterna pœna damnati. Idem, l. 2. in reg.

Sicut tenebræ oculos, ita delicta mentem claudunt; nec lucem videre sinunt, nec se. S. August. in Ps. 18.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologia hoc in argumento deprimi queat.

Cæcitas mentis, & cordis obduratio definitur.

UT probe agnoscatur, quid sit animæ cæcitas, qua sæpe Deus percutit peccatores, conjiciendum est ex corporis cæcitate, quæ est visivæ facultatis privatio, quæ objecta præsentia, & suis oculis exposita intueri atque discernere nequit. Idem enim dicendum est de spirituali cæcitate, de qua hic sermo: quę est judicii depravatio, ita ut peccator gratię, rectæque rationis luminibus destitutus, necessarias saluti veritates non videat, neque cognoscat, suamque libidinem, affectumque suum tantummodo sequatur. Simili ratione judicium ferendum est de induratione cordis, ex earum rerum collatione, quæ suapte natura durę sunt, quę oppositorum agentium impressionibus resistunt, atque vi tantum flectuntur. Tale est cor durum. Hęc autem induratio est voluntatis corruptio, quę ei studio, quo naturaliter in malum ferimur, adjicit quemdam statum, vel quamdam speciem immutabilitatis in vitio, ita ut hujusmodi cor nulla re affici queat; & nihil rebellem hanc voluntatem ad bonum valeat convertere.

Duplex spiritualis cæcitatis species distinguitur.

In hac materia confundendæ non sunt species duæ cæcitatis, quam altera vere peccatum est, & quemadmodum loquitur Sanctus Bonaventura, est rebellio, atque actualis resistentia, qua peccator luminibus gratiæ adversatur, juxta illa Sancti Job c. 24. verba: *ipsi fuerunt rebelles lumini*. Altera vero cæcitas pœna est, & justum peccati supplicium; est quippe subtractio, vel privatio luminum, quę Deus aliis concedit, & sine quibus numquam futurum est, ut obcæcatus, induratusque peccator convertatur; quamvis numquam illum eo usque deferat Deus, ut illi omnem penitus ad resipiscendum aditum intercludat.

Quomodo, & in quo sensu Deus peccatores excæcet.

Quamvis expliciti verbis Biblia testantur, peccatores a Deo excæcari; ne ille erraret, qui crederet Deum rationem auferre, vel positiva aliqua actione suas tenebras in peccatorum mente producere. Veruntamen ille confert aliquid cæcitati, subtrahit enim gratiæ lumina, vel saltem hæc adeo infirma illis concedit, ut ad nihilum profint, ut convertantur. Quamobrem cum Sanctus Thomas 1. 2. q. 7. art. 3. quærit, utrum Deus esse possit causa Spiritualis cæcitatis, & obdurationis cordis, distinguit; quatenus enim, ait, hæc cæcitas, & obduratio significat mentis, & cordis motum in malum; Deus illius esse causa non potest; etenim esse non potest causa peccati: Sed quatenus est gratiæ privatio, & subtractio; per hanc sæpe in peccatores animadvertit; ideoque ambigi nequit, quo minus in hoc sensu causa sit cæcitatis.

Notandum autem est cum eodem Sancto Doctore spiritualem hanc cæcitatem (quod ipsum de cordis induratione, quę ex divini luminis defectu proficiscitur dicendum est) hanc inquam cæcitatem duobus ex principiis oriri. Alterum est peccatoris voluntas gratiæ obicem statuens; alterum Deus est, qui secundum sapientiæ, atque Justitiæ suæ ordinem, gratiæ lumen illi subtrahit, qui eidem resistit. Ita Deus est causa cæcitatis spiritualis per accidens, vel per luminum suorum subtractionem, quibus impii sese indignos præbuere.

Distinctio inter cæcitatem, aggravationem, & indurationem.

Cæcitas, aggravatio, & induratio cordis tria sunt plus, vel minus distincta, secundum varios effectus Gratiæ, quæ sapientiæ suæ dono perficit intellectum, & igne Charitatis cor ipsum emollit. Quoniam vero visus, & auditus Doctrinæ, atque disciplinæ inserviunt; hinc fit, ut cæcitas quatenus ad visum, & aggravatio vel surditas quatenus ad auditum referuntur, pertineant ad intellectum, induratio vero ad cor. Priora duo non differunt igitur inter se: nisi pro variis rationibus, quibus idem objectum concipitur; utrumque tamen reipsa differt a tertio.

Tres sunt diversæ causæ cæcitatis.

Spiritualis cæcitatis mala.

Spiritualis cæcitatis, & cordis induratio, quatenus gratiarum subtractionem significant, ex improbitate nostra, Dæmone, ipsoque Deo, sed variis rationibus proficiscuntur. Improbitas enim nostra causa est, quæ meretur, ac sibi tantum conflat supplicium; Dæmon vero tamquam tentator inductione, atque sollicitatione sua causa est; Deus denique causa & ipse est propter divini luminis subtractionem; sed eo uno in sensu, quem explicuimus.

Quodvis peccatum cæcitas est, in qua posset Deus omnes illud perpetrantes deserere. Hac tamen severitate non semper utitur in omnes, ut ex familiari divinę Justitię dispensatione videmus supplicium hoc in illos tantum labi, qui in peccato suo convaluerunt, & longa peccandi diuturnitate, & magnis sceleribus. Hæc est Sancti Gregorii Magni animadversio in ea verba Job: Dominus cognoscit opera hominum & super illos obscurissimæ noctis tenebras inducit; *Inducet noctem*: & ait in illos tantum noctem inducere, qui in peccatis suis voluptatem nacti de industria a Deo recedunt, ne videant vias, quæ ab ipso edocentur: *Qui quasi de in-*

industria recesserunt ab eo, & omnes vias ejus intelligere noluerunt. Job 34.

Nemo ita derelictus est, ut corrigi nequeat.

Præsupponendum etiam est cum Divo Thoma, errare contra fidem, qui putat excæcatum peccatorem, donec viator est, sese corrigere non posse, & ad frugem reverti. Deus nullos misericordiæ suæ limites circumscripsit, neque intra certum peccatorum numerum, certumque tempus illam coegit. Nulla in peccatore nox est adeo tenebricosa, ut subinde aliquod gratiæ lumen non affulgeat, quo si vellet uti, majora obtinere, quæ tandem efficerent, ut ad se reverteretur. Dicendum ergo est, peccatorem quamtumvis a Deo derelictum adhuc recipere gratias, sed infrequentiores, remotiores atque mediatas. Infrequentiores; peccator enim non æque frequenter, ut olim, Divino illustratur lumine, regitur, afficitur: remotiores; sunt enim tamquam fulgura procul micantia, & Dei iram, & indignationem æque ac ejusdem misericordiam indicantia: mediatas, exempli causa, gratiam orationis, quæ nemini unquam negatur, per quam peccator conversionis suæ gratiam assequi potest.

Peccatores nonnullos Deus ex cæcitate vehementibus gratiis de eorum nequitia triumphantibus educit; alios vero tradit in desideria cordis eorum, & in affectuum ipsorum perturbationem; sed hac de causa, ut ex diversa hac ratione in aliis quidem videamus, quid misericors ipsius gratia valeat, in aliis vero, quid justa ejusdem possit vindicta, ut docet Sanctus Augustinus, l. 22. de Civit. Dei. Si omnes homines in pœna damnationis permanerent, quæ ipsis jure debetur; in nullo misericors Redemptoris gratia enituisset, si e contra omnes de peccati caligine fuissent erepti, ut gratiæ & gloriæ lumine perfruerentur, divinæ ultionis severitatem minime cognosceremus. Operæ igitur pretium fuit, ut quosdam suæ misericordiæ subsidio liberaret Deus, alios vero propriæ traderet iniquitati: sed scrutari velle, cur hos potius, quam illos servari; hoc sane est velle judiciorum Dei abyssum penetrare: *Deus cujus vult miseretur, & quem vult indurat*. Ad Rom. 9.

Quomodo peccator seipsum excæcat.

Voluntas etiam peccatoris ipsum sua excæcat nequitia: *excæcavit illos malitia eorum*. Primum rationem avertit a Sanctorum luminum consideratione; Secundo sese fortiter applicat iis omnibus, quę ea lumina delere, & extinguere possunt: Tertio ex objectorum fiuu vapores attollit, caliginem rationi offundentes, ne videant; hoc est efficit, ut iis tantummodo vacet, quibus seduci potest, & anima his occupata rebus se facile exterioribus mundi speciebus decipit, quæ illam alliciunt, neque finunt videre vanitatem earum rerum, quas speciosa illusione abscondunt, potius quam ostendant.

Cæcitas non solum causa peccati est, sed etiam effectus; & quadam mutuæ causalitatis specie illud producit, & ab illo producitur. Ex quo peccatum cor ingreditur, quod non accidit, nisi fuerit pluribus nubibus perturbatum; inde lumen expellit, & homo, qui seipsum excæcat, ut peccet, ex quo peccaverit, magis cæcus evadit. Quamobrem Sanctus Thomas affirmat, quodlibet actuale peccatum in unoquoque nostrum easdem plagas efficere, quas originale universæ inflixit naturæ, quarum prima mentis est cæcitas ad inumerabilia mala disponens. Verum hæc omnia communem dumtaxat exprimunt cæcitatem: ea autem, de qua hic sermo, magnus est effectus, magnumque supplicium, quod prečedentia peccata subsequitur cum majori, vel minori cęcitate conjuncta, sed hac semper minus gravi, & minus extensa.

Cæcitas magis, proprio nomine appellata, vel cæcitas status ipsa quoque est pœna peccati, sed magis terribilis, quam reliqua omnia supplicia, quæ in illius comparatione pro nihilo habenda sunt; quoniam reliqua omnia vel non adeo generalia sunt, quemadmodum altera illa cęcitatis vulgatioris pœna, de qua modo fuit sermo, vel etiam inserviunt, ut corrigamur, & saluti nostræ serio cogitationes impendamus. Sed hæc prima est, maxime nos in ęternam infelicitatem adducit, citra divinæ misericordiæ miraculum, & omnipotentis gratiæ cœlestis auxilium.

Certa autem indicia, quod quis ad hunc cæcitatis statum devenerit, sunt, quod ob vitia non erubescit amplius, atque effrons, atque impudentissimus factus est. Secundo quod virtutem vituperat, & eamdem probro vertit illis, qui eam exercent & palam profitentur. Tertio cum omnem Dei metum, omnemque Religionis sensum amisit, quod apertissimum signum est, peccatorem a Deo fuisse derelictum.

Notæ, ac signa cæcitatis in peccatore.

Peccata, quæ vulgo in mentis cęcitatem & cordis obdurationem inducunt, sunt primo impudicitia: quotidie enim docet experientia, eos, qui se huic mancipant vitio, carnales fieri, & quodammodo in brutorum naturam transire. 2. avaritia, & amor terrenorum bonorum, qui efficit, ut cœlestia minime cogitemus. Tertio: Sacramentorum abusus; non enim ulla alia re cor magis induratur: Quarto: Impietas incipiens, & nondum consummata; in his, quæ ad fidem pertinent, licentia. Si jam absoluta est cæcitas, tunc non inceptio, sed quemadmodum diximus, est signum præsens, atque manifestum perfectę cæcitatis.

PARAGRAPHUS VI.

Loci ex Asceticis libris atque Neotericis Concionatoribus delecti in hoc argumento.

Ratio, qua Scriptura loquitur de spirituali cæcitate.

CUM Scriptura loquitur de spirituali cæcitate, hoc illa præstat vocabulis in speciem ita sibi adversantibus, ut difficillimum esset eorum vim intelligere, nisi ab eadem nobis explicarentur. Modo inquit homines a peccato suo excęcari: *excæcavit eos malitia eorum*. Sap. 2. modo hanc cæcitatem Deo tribuit, tamquam auctori: *excæca cor populi hujus*: Isai. 6. modo causam imputat Dæmoni, qui hujus sæculi Deus appellatur; *Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium*: 1. ad Cor 4. modo cæcitatem hanc, tamquam excusabilem, & venia dignam ostendit: *misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci*: 1. ad Timoth. 13. & modo illam damnat, & acriter in illam invehitur. Hi, quemadmodum videtis, complures sunt loci, propter quos in errorem plurimi labuntur, & qui ipsius Scripturæ testimonio sunt explicandi, perspicue distinguentis cæcitatem, quæ peccatum est, cæcitatem, quæ est causa peccati, & cæcitatem, quæ peccati effectus est, vel supplicium. *In Quadragesimalibus Sermonibus, quibus P. Bourdalove nomen inscriptum est; concione pro Feria quarta post Dominicam quartam*.

De ignorantia ad scelera.

Quædam cęcitas ex se noxia est, quam Doctor Angelicus explicat, dicens hanc ab homine affectari, in hac ipsum sibi complacere, in hanc se immergere, hanc abjicere nolle, & per hanc dicere; illuminari nolo atque in tenebrarum mearum caligine tanta voluptate perfundor, ut in eadem permanere maxime cupiam. Hoc est commune flagitiosorum, Atheorumque peccatum, quibus cum satis superque luminis suppetat, ut Deum agnoscant, de industria tamen, ne illum agnoscant, seipsos excæcant: hæc est *summa deliciti*, Tertullianus ait, *nolle agnoscere, quem non possunt ignorare*. Ita quovis tempore egerunt Hæretici malæ fidei; illi videlicet, qui ideo Hæretici sunt, quia esse volunt: non enim desunt, qui quidquid accidat, pertinaciter numquam sese victos dedere volunt, Hoc etiam est peccatum eorum, qui voluptuosam sæculi vitam sequuntur, qui, ut majori vivendi licentia abutantur, atque pro libidine vitæ hujus deliciis perfruantur, nolunt audire eos, qui sibi de veritatibus æternis loquuntur. Id genus hominibus mundus refertus est, qui JESU CHRISTO dicere videntur, *recede a nobis; scientiam viarum tuarum nolumus*. Job. 21. *Idem*.

Plurimos excæcat avaritia.

Plurimi sunt fideles, qui in dubitationibus illis, quæ circa legem suboriuntur, illuminari nolunt; nolunt enim ea adimplere quæ in lege jubentur: *noluit intelligere ut bene ageret*. Psalm. 35. Quidam in magnis versatus est negotiis, & licet temporum calamitas adversaretur, magnas collegit divitias; Quidam justitiam exercens perperam sua protulit judicia: quidam alienæ sese immiscuit rei, ibique maximam nactus est utilitatem. Si quando mercator, judex, officiosus homo, quidquid ab ipsis factum fuerit diligentius ad examen vocarent, fidei maxime consonum est, ipsos inventuros & injustitias refarciendas, & restitutiones faciendas, vel saltem promissiones explendas. Hæc omnia nimium negotium facesserent; hæc enim consideratio cogeret, ut iis, quæ debent, facerent satis. Illi autem quid? hæc omnia suffocant, & ut hoc negotio se expediant, illius cognitionem sibi auferre-

ferunt, & cognoscere nolunt, quid debeant, ne satisfacere teneantur. O cæcitatem voluntariam; o ignorantiam adfectatam: *Noluit intelligere, ut bene ageret. Idem P. Bourdalove.*

Ex omnibus peccatis nullum magis oppositum est saluti, quam hæc cæcitas voluntaria; hæc enim proprie peccatum est, quod gratiarum omnium principem nobis aufert, videlicet cognitionem. Oportet autem, Deum, ut nos salvos faciat, inde incipere, in quo tamen Deus, licet Deus sit, ordini naturæ sese conformare tenetur: quandoquidem sicut in ordine naturæ agere non possumus, quin cognoscamus; similiter in ordine gratiæ Deus salutem nostram operari non potest, nisi illius nobis voluntatem immiserit, neque voluntatem potest immittere, nisi cognitionem tribuerit! Quid ergo facimus, cum huic cognitioni resistimus? Renuimus operari salutem nostram, & primum hoc lumen fugientes aliis abrenunciamus gratiis, quę nos salvos facere possunt. *Idem.*

Illi, qui in adfectata, aut vincibili versantur ignorantia earum rerum, quæ ad salutem suam pertinent, coram Deo inexcusabiles sunt; agunt enim vel contra lumina sua, vel contra suas dubitationes. Deus autem hujusmodi excusationes non patitur. Si aliquod hujus sæculi negotium ageretur, tibi non deesset lumen: deest tibi lumen tantummodo pro tuæ salutis negotio. Verum quamvis minime ageres contra propria lumina, ageres saltem contra dubitationes tuas; & quamquam non aliud haberes lumen, quam ipsam dubitationem, incertum hoc lumen satis esset, ut peccatum admitteres. Hoc tecum diligentius reputa: statim ac dubito, utrum aliquid peccatum sit necne; & illud nihilominus ago, jam pecco. Ambigo, utrum res illa mea sit, necne; eam tamen arripio; jam furti nomine damnor. *Idem.*

Quomodo Deus peccatorem excæcat, & quomodo hoc sit intelligendum.

Achab impius est, Deus inquit, illum excæcare volo, & fallere; volo etiam ut illum sui Prophetæ excæcent, & fallant: *Dominus dedit spiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.* 2. Paralip. 18. Nonne diceres; ergo Deus est, qui positiva actione illum excæcat? nequaquam, inquit S. Augustinus; Deus, qui ipsa veritas est, fallere non potest, & si quem excæcat, hoc quadam permissionis specie, non ulla actione peragit; patitur enim nos falli, non nobis errorem inspirat: si enim Deus positive peccatorem excæcaret, calamitosus hic in eo statu legem adimplere non posset, & hæc illi impossibilis fieret. Quid facit ergo Deus, cum nos excæcat? nihil facit, & Deo nihil faciente in cæcitatem decidimus. Nos flagitiis, sceleribusque nostris implicitos videt, & nobis quædam summovet lumina, quorum ope salutem nostram fuissemus operati: lumina pretiosa, lumina, quæ suis electis ille concedit, lumina, quæ nobis res omnes, quales revera sunt, ostenderent, lumina penetrantia, quæ mundi vanitatem, spei ejusdem fallaciam, & promissionum illius versutiam detegerent, lumina, quæ ad nos accedentia cor ab hujus mundi affectione divellerent. Hæc autem nobis lumina submovet Deus, cum irritatus est contra nos, & hæc illa sunt, quæ præsentia vel absentia sua nostram cognitionem, vel cæcitatem efficiunt: & hinc accidit, quod cum illa nobis sublata fuere, Deus sævissima pœna in nos animadvertat. *Idem.*

Alię quæcumque pœnæ, quibus Deus non affligit, vel punit præter hanc, nihil habent non utile nobis; cum enim videtur Deus a nobis recedere suæ in nos Justitiæ tela depromens, tunc nos recipit per misericordiam, atque sua ad nos accedit clementia; ibique quædam est Justitiæ & misericordię commixtio, cum cæcitas meræ sit effectus justitię: *judicium sine misericordia.* Cum me affligit Deus, cum me calamitatibus percutit, cum ægritudines immittit, vel hujus mundi divitias aufert, mihi non deest, quo mea mala consoler; sed cum me excæcat, hic merus est Divinæ Justitiæ effectus, & me eo punit supplicio, quod pœnas damnatorum quodam modo imitatur. Qua enim in re reproborum pœna consistit? in hoc sane quod quo magis torquentur, eo sunt pertinaciores. Hæc non amplius est mera temporalis pœna, immo æterna vocari potest; quę incipit quidem, sed quæ numquam est desitura; morte, quæ reliquis finem imponit, hanc tantummodo immutante. Sicuti enim beatus de lumine transit in lumen, de claritate in claritatem, de lumine gratiæ in gloriæ lumen: ita reprobus de cæcitate transit in cæcitatem, de tenebris peccati ad inferni tenebras, quamquam jure dici queat, cæcitatem non aliud esse, quam infernum inchoatum, quemadmodum infernus non aliud est, quam cæcitas continuata. *Idem.*

Peccatorum cæcitas.

Peccatores omnes mere sunt cæci, cæcitas enim est pœna peccati, juxta illa Sophoniæ verba; *ambulabunt, ut cæci, quia Domino peccaverunt*: Sophon. 1. non vident vel inferni flammas, vel gloriam Paradisi, vel peccati turpitudinem, vel pulchritudinem virtutis. Sed magis adhuc sunt cæci, quam cæcus Evangelicus: hic enim cognoscit cæcitatem suam, & nihil intentatum relinquit, ut aciem oculorum acquirat, sed peccatores plerique, se oculorum acie pollere putant, & suam ægritudinem amant; tantum abest, ut curationem inquirant. *Si cæci essetis*, respondit Joann. 9. JESUS CHRISTUS Pharisæis, *non haberetis peccatum*: hoc est si vestram cognosceretis cæcitatem, vere essetis illuminati; quippe ad medicum confugeretis: *nunc vero dicitis, quia videmus, peccatum vestrum manet.* Quasi illis dixisset JESUS: quia vos perspicue videre putatis, nullam cæcitati vestræ medicinam quæritis, quæ ideo numquam curabitur. Nonne plerisque peccatoribus accidit, qui secundum Isaiam Prophetam, bonum, malum, & malum bonum appellant? tenebris nomen luminis tribuunt, & lumini nomen tenebrarum? Metuamus hanc dispositionem tamquam apertissimum reprobationis indicium. *Concionator Neotericus Homilia in Dominica Quinquagesimæ.*

Donec anima nostra cœlesti lumine fruitur, animi nostri ægritudines quiescunt, & silent; at ingruitne nox? nullæ sunt passiones, quæ crudelium ferarum ritu centies per nostrum cor ultro citroque non pertranseant. Avaritia, ultio, impudicitia, ambitio, odium, invidia, quas Patres leonibus, tauris, tigridibusque comparant, anima nostra potiuntur, eamque crudeliter laniant. Donec fidelis gratiæ lumine illustratus est, quænam monstra non prosternit, quos affectus non superat? sed cum in scelerum suorum nocte versatur, similis est excæcato Samsoni, suas vires, & robur amittit, affectuumque suorum furori se tradit. Eo in statu fit inimicorum suorum ludibrium, se capi sinit, in vincula detrudi, atque omnibus animi sui facultatibus jugum imponi. Tunc Dæmones, quos antea conjiciebat in fugam, in illum suam rabiem evomunt: de tenebris transit in tenebras, de passionibus in passiones, de vitiis in vitia; donec sibi non amplius integrum sit, suas catenas infringere. Judas sua se excæcari avaritia passus est; numquid in ea quiescet? haud ita sane: perfidia cor ejus pervadet, & ut suæ cupiditati faciat satis, prodet Dominum suum, eumque sævissimis hostibus venundabit. Jam suæ iniquitatis pretium recepit; numquid in eo quiescet? haud ita: desperatio, & furor illius invadent animam; ipse sibi carnifex erit, cum non alia turpior manus eidem mortem possit afferre: *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ sylvæ.* Psalm. 103. *Auctor sermonum Christianorum in secundam Adventus Dominicam.*

Peccatoris cæcitas magis horribilis quam tenebræ Ægypti.

Jure Moyses eas plagas recensens, quibus Deus Ægyptum percussit, ut Pharaonem converteret, tenebras tantum vocat horribiles. Etenim profecto neque fluviorum in sanguine immutatio, neque exercitus insectorum, qui illum in ipso usque cubili, & penetralibus obsederunt, & omnes terræ fructus depasti sunt, neque terribilis lues, quæ omnia jumenta delevit, neque grandines, quæ mortem iis, quoscumque attigissent, inferebant, neque tonitrua, quorum fragor firmissima quæque edificia concutiebat, aliquid in se horroris habent, si cum ea tenebricosa nocte comparentur, quam Patres semper spectarunt, tamquam funestam cæcitatis peccatorum imaginem, qui in sceleribus suis convaluerunt, & quas nullum miraculum inde potest evellere. *Idem.*

Deus nullam ponit in animabus pravam qualitatem (S. Th. ait) quæ earum cæcitatem efficiat; suam tantummodo summovet gratiam, quæ illarum lumen est; idque non injuria; nihil enim justius est, quam sinere, ut in errorem, & cogitationum suarum depravationem ille ruat, qui sponte lumini, & veritati oculos clausit. Deus nequit esse auctor peccati, sed permittit, ut peccator per obstinationem perficiat, quod per nequitiam suæ voluntatis incæpit. Avertit se homo a Deo; equum est, ut se Deus ab homine avertat: ille diligit tenebras; illum Deus in tenebris relinquit; ille interiori gratiæ mi-

miraculis, bonisque exemplis resistit; non tenetur Deus prodigia operari, neque victrices gratias tribuere eam fracturus nequitiam, quę, suę clementiæ adversatur, & quam ipse peccator sibi in cæcitatis suæ materiam convertit. *Idem.*

Nosmet excæcamus postquam fidei luminibus fuimus illuminati.

Verum est, si omnes cæci nascimur quatenus Adæ filii, Adam alterum in Baptismo nobis visum restituere, quem primus abstulerat: & licet nemo sit nostrum, de quo Adam dicere nequeat, quod parentes illi cæci nati: *nos scimus, quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est*: nemo etiam nostrum est, qui ex salutari hoc lavacro emergens dicere nequeat, quod cæcus ille, postquam JESUS oculos illius illeverat sputo; *cum cæcus essem, modo video.* Et sane Dei Fillius nobis oculos aperit, in mentibus nostris fidei lumen accendit, & omnes tenebras procul expellit. O nos beatos, si in luminis hujus claritate semper ambulaverimus, & si ad lucem hanc gressus nostros direxerimus! sed nos miseros! cito in pristinam cæcitatem relabimur, cito Divina hæc extinguimus lumina, quæ fides in mentes nostras effuderat. Nonne jure dici potest, plerosque homines suæ rationis luminibus cum primum utuntur, jam tunc illis abuti, ut fidei lumina impugnent, & extinguant? .... Funestam, & miseram cæcitatem, propter quam detinemus in injusta captivitate omnes Divinas veritates, quarum lux nobis affulsit, & quibus æque parum usi sumus, ac infideles, & barbari, qui easdem numquam intellexere! De la Font *propositione pro Quinquagesima Dominica.*

Cæcitas peccantium.

Cæcitas mentis, & cordis vulgatissima est causa peccati. Peccator omnis cæcus est, & peccator non est, nisi quod cęcus. Si Deum, si seipsum, si peccatum cognosceret, hoc numquam patraret; numquid posset Deum contemnere, odisse, contumeliis afficere si illum uti est, maximum, optimum, justissimumque cognosceret? Numquid posset seipsum, ut facit, cum lethaliter peccat, præferre Deo, si seipsum, uti est, abjectissimum, miserrimum, & adeo necessario pendentem cognosceret? Numquid posset magis, quam Deum, amare peccatum, si illud adeo horribile, uti est, adeo oppositum Deo, & sibimetipsi funestum cognosceret? Numquid posset in eo suam felicitatem statuere, si ejus effectus, & infinita quæ illud consequuntur mala cognosceret? Profecto non posset. *P. Nepveu tomo primo considerationum Christianarum.*

Primus homo creatus fuit in omnium naturalium luminum affluentiam; peccatum illi aperiens oculos, ut suę nuditatis turpitudinem intueretur; eosdem illi clausit, ne alia videret objecta, & quod illam concupivit scientiam, quæ ipsum minime decebat, ignorantię, & errori addictus fuit. Undenam homo ille adeo perspicax, adeo in reliquis rebus omnibus prudens, est adeo ignarus, & cæcus in iis veritatibus, quæ ipsius salutem respiciunt: adeo misere ratiocinatur, adeo loquitur imprudenter. Peccator est: in reliquis omnibus scitus, & perspicax, in scientia salutis puer est, & cæcus. *Ibidem tomo quarto.*

Quantum sit hoc Dei supplicium.

Gratiæ subtractio causa est cæcitatis, & pœna quam passim Deus punit gratiæ contemptum, vel abusum. Dolent quidam, quod Deus patienter nimis peccatores ferat; sed ille clam suas ultiones exercet, quæ non ideo minus funestę sunt, quod minus insignes: hoc autem submovendo peccatoribus lumina, quibus rebelles fuerunt, eosque fatali necessitate percutiendo. Quam communis est hæc fidelibus pœna! & sane nisi plerique cæci essent, eos ne videremus in tanta Dei oblivione, tantaque salutis suæ negligentia versari, parum adeo judiciorum Dei severitatem metuere; minimum laborare, ut illa prævertant; sese quotidie in æternæ infelicitatis periculum adducere pro fluxa fragilique voluptate, pro turpi quæstu; se in iis gloriari actionibus, quas Deus æternis destinat suppliciis: denique annos integros summa cum pace in iis volutari criminibus, quæ Dei odium, ac terribiles vindictas merentur, cum certo sciant se inferni ignibus torquendos esse, si in eo statu decesserint, neque sibimetipsis vel unam polliceri possint diem, qua non sint interituri? quam incredibilis videtur in Christiano viro hujusmodi cæcitas! quomodonam fide conciliari potest; & nihilominus, quam familiaris est! *Idem.*

De cordis induratione.

Deus, & homo aliquid conferunt cordis indurationi: homo illam incipit, Deus perficit: homo peccatum committens, Deus illud puniens: homo luminibus gratiæ resistens, Deus sua lumina subtrahens, ut resistentiam hanc ulciscatur: homo injustus est, & nequam seipsum indurans; Deus peccatorem indurans, justus est, & sanctus. Cæcitas mentis causa est obdurationis cordis: cordis obduratio cæcitatis est pœna. Aliis pœnis punit Deus tamquam Pater, sed cum hominem indurat, punit tamquam inimicus. Cum alia Deus immittit supplicia, placari vult, eaque peccatorem compellunt, ut illum studeant delinire; in hac autem Deus suam quærit ultionem, neque peccator adnititur illum placare: aliæ pœnæ sæpe pœnitentes efficiunt, hæc nonnisi reprobos efficere potest. Cordis obduratio est reprobatio inchoata, si illam non metuis, væ tibi; signum est, te aliquam reprobationis partem habere! *Idem tomo secundo.*

Cordis obdurationem gravia subsequuntur mala. Lumen excæcat, vel perstringit, cor obduratum non illuminat, Dei flagella illud rebelle efficiunt, non subjiciunt; mala, quæ Deus immittit, illud opprimunt, non humiliant; Miracula stuporem injiciunt, non convertunt .... Visne cognoscere obdurati cordis indicia? hęc S. Bernardus describit. Cor durum est, inquit ille, quod neque atteritur pœnitentia, nec pietate mollitur, nec precibus flectitur, nec minis cedit; quod percussum magis induratur, Dei beneficiis ingratum, & gratiis infidum. Ad turpissima quæque flagitia non erubescit, ad maxima quælibet pericula non expavescit, nullam erga fratres habet humanitatem, nullam erga Deum reverentiam, vel metum. Præteritorum obliviscitur, præsentia negligit, futura non prævidet, denique suorum officiorum, suique metipsius obliviscitur. Hæc est obdurati cordis imago. O imaginem horribilem! Hæccine, tua est? Nisi omnia illius habes lineamenta, aliqua saltem tibi inesse fatearis necesse est. *Idem.*

Peccator, ut seipsum excæcet tria luminum genera extinguit.

Deus nobis tria luminum genera tribuit fidei, gratiæ & rationis, peccator ultro tres has faces extinguit, ac seipsum constituit in tenebris. Primum quidem fidei lumina extinguit, nihil amplius veretur; infernus, justitia Dei, ęternitas illum non movent: *ipsi fuerunt rebelles lumini.* Job 24. Nequit delere fidem, sed in illam rebellat oculosque claudit, ne videat, quod sibi ab eadem, ostenditur. Alteram priori adjicit cęcitatem gratiæ lumina suffocans, hoc est, licet vividissima gratię sibi lumina affulgeant, semper in umbra mortis atque tenebris peccati delitescens. Rationis lumen nullam majorem obtinet apud ipsum vim, quam fidei, & gratię lumen: ratio enim in anima idem fere est, atque oculi in corpore. Oculos nobis concessit Deus, ut impendentia vitæ nostræ pericula præverteremus; cæcus enim sexcentis periculis patet, sive ab inimicis, sive a semetipso, cum in singulos gressus cespitare possit, & ruere. Hoc ipsum de ratione dicendum est; quæ est oculus animæ, & quæ nobis indita fuit, ut nos a peccato tueretur. Qui hoc lumine caret, jugiter labitur; eum tuto plagis afficiunt inimici, & ipse affectuum suorum, Dæmonisque efficitur præda. *Abbas de Breteville in specimine sermonum tomo secundo pro feria quarta post tertiam Quadragesimæ Dominicam.*

Tria sunt mortalium genera, qui pro salute sua excæcati, infeliciter illuminati sunt, ut videant ea, quæ non sunt; sapientes videlicet mundi; Hæretici, & flagitiosi. Sæculi hujus sapientes sequuntur dogmata mundi, quæ falsa sunt, & fallacia: cupiditas, atque utilitas duę sunt faces, quibus illuminantur, & propter quas vident, quidquid non est. Hæretici quoque sunt ex horum perspicacium cæcorum numero ea videntium, quæ minime sunt, quin rerum potissimam partem, atque substantiam inspiciant, quin certissimis veræ Ecclesiæ notis, supremę illius auctoritati, & Conciliorum decisionibus, quę sunt vere lumina, adhęreant; sed seorsim nescio quem inanem fulgorem sequuntur, quo duce infelicia sibi perniciosarum opinionum phantasmata effingunt. Flagitiosi vivendi licentiam quærentes magis sunt deplorandi; falsam claritatem sequuntur, quam voluptatis flammæ effundunt, qua duce sibi videre videntur mortalem animam, licitas voluptates, mundum fortuito conditum gubernatumque, Infernum, & Paradisum, tamquam politicas adinventiones ad populos in officio coercendos: Omnia denique vera credentes, & nihil metuentes intrepidi vitam trahunt, donec tandem aliquando in Inferno ea videant, quæ in terris videre noluerunt. *Idem.*

BIBLIOTECA CENTRAL U. A. N. L.